B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

HILDEBERTVS

CENOMANNENSIS EPISCOPVS

CARMINA MINORA

RECENSVIT

A. BRIAN SCOTT

EDITIO ALTERA



MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAUR MMI

Lectorem benevolentem monemus,
ut consultet pp. 77ssq.

Die Deutsche Bibliothek – CIP Einheitsaufnahme

Hildebertus <Lavardinensis> :
Carmina minora / Hildebertus Cenomannensis Episcopus.
Rec.: A. Brian Scott. – 2. ed., –
Monachii ; Lipsiae : Saur, 2001
(Bibliotheca Teubneriana)
ISBN 3-598-71984-1

Printed in Germany

Druck und Bindung: Druckhaus „Thomas Müntzer“ GmbH, Bad Langensalza

PRAEFATIO

Poeta noster Hildebertus natus est apud Lavardin in agro Vindocinensi circa annum 1056, ut videtur. scholarum magister in ecclesia Cenomannensium ab episcopo Hoello (1082–1096) creatus, deinde (anno 1091) ab eodem ad archidiaconatum promotus est. cui quidem successit Hildebertus episcopus anno 1096 electus, nolente tamen parte capituli. per primos annos episcopatus multum distringebatur bellis civilibus et intestinis in parte Galliae aquilonia ortis propter desidiam Roberti ducis Normanniae et ambitionem Willelmi secundi regis Angliae. cum iam in senectutem vergeret, electus est archiepiscopus Turonensis. Turonis obiit anno 1133.

Vitam Hildeberti tractaverunt multi et praecipue A. Dieudonné in libro suo *Hildebert de Lavardin, sa vie, ses lettres*[1]), quare mihi inutile visum est easdem res iterum prolixius narrare, praesertim cum editio nova epistolarum Hildeberti mox proferetur, auctore P. von Moos Lucernensi. propositum autem meum est lectori offerre collectionem poematum quae Hildebertum auctorem vere habent, et textum purgare mendis quae introduxit A. Beaugendre editionem principem instruens.[2]) cui quidem edenti erant ad manum editiones singulorum poematum (e. g. apud Hommeii *Supplementum Patrum*), erant etiam codices optimi. Stephanus Baluzius, qui ipse in animo habebat opera poetae nostri edere, collationes accuratas Beaugendre benigne tradidit. sed neque editiones prae-

1) Parisiis 1898. libellus nihil est nisi editio nova articuli quem invenies in ephemeride *Revue Historique archéologique de Maine,* 1896–1897, tom. 40–42.

2) *Ven. Hildeberti . . . Opera, Labore et studio D. Antonii Beaugendre,* Parisiis 1708; altera editio poematibus paucis aucta, edente J. J. Bourassé, invenitur apud Migne, *Patrologia Latina* tom. 171, Parisiis 1893.

viae neque collationes Beaugendre deterrere potuerunt quin poemata undique temere cogeret in editionem sub nomine Hildeberti. erravit, ut opinor, non modo adhibendo florilegia quae multa aliorum auctorum poemata continebant, pauca Hildeberti, sed etiam, forte senio confectus (habebat enim annos prope octoginta aetatis), parum accurate textum transcribendo. errores eius quamquam eruditos eiusdem aetatis non latebant nemo corrigere conatus est, donec B. Hauréau in libello suo *Les Mélanges Poétiques d'Hildebert de Lavardin*[1]) poemata editionis Beaugendrianae apud Patrologiam Latinam impressa singulatim examinavit atque operam navavit ad genuina a spuriis discernenda. discernens tamen aliquantum iniquior erat, qui, si poema sibi bonum esse videbatur genuinum, si ineptum spurium censeret. quod incohavit Hauréau optime complevit Dom. A. Wilmart in articulo apud ephemeriden *Revue Bénédictine*, tom. 48, 1936, cui titulus 'Le florilège de Saint-Gatien. Contribution à l'étude d'Hildebert et de Marbode'. scrutatus in prima parte florilegium, in secunda codices quindecim excussit qui auxilio essent conanti inter poemata genuina et spuria decernere, et tabulam addidit qua usus lector quivis posset ipse existimare de poematibus dubiis.

Dubiorum autem quaedam mihi videbantur prolixius disputanda antequam editionem poematum susciperem, de quibus disserui in ephemeride *Mediaeval and Renaissance Studies*, apud tom. 6. ibi conatus sum quasi canonem poematum genuinorum constituere. quo in conatu nixus sum praecipue codicibus quinque, videlicet **DBTKZ**, qui in duas familias dividi possunt. Codices enim **DBT** recensionem textus quam α nuncupamus, codices **KZ** recensionem φ denominatam repraesentant. familia utraque codicum nobis maximae utilitatis est, quae seriem continuam Hildeberti poematum praebeat. praeterea series poematum quam praebent codices **DBT** non eadem est quam apud **KZ** videmus. poematum alia

1) Idem videbis apud *Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèque Nationale* 28 ii, 1878, 289–448.

in altera serie alia in utraque, nonnulla etiam in neutra reperiuntur. itaque quae poemata in utraque et quae in altera serie inveni existimavi esse genuina, illa sine dubio, haec magna cum probabilitate. quae tamen in neutra serie apparuerunt, ea investiganda esse censui, quorum quinque relegavi in supplementum dubiorum. itaque si quis vult scire quare poema aliquod genuinum aut spurium signem opus meum consulat. in hac autem praefatione commodi lectoris causa iterum disputo de codicibus et codicum familiis, atque de duplici recensione poematum. quaedam denique addo de titulis poematum et tempore quo quodque scriptum sit.

Sed antequam ad codices accedamus, restat ut declaremus rationem poemata citandi qua usi sint eruditi et rationem novam qua sim usus in hac editione. editio Beaugendriana comprehendit opera Hildeberti prosaica: epistolas, sermones, vitas sanctae Radegundae atque sancti Hugonis Cluniacensis; tractatum de querimonia et conflictu spiritus et carnis; poemata longiora genuina, scilicet vitam sanctae Mariae Aegyptiacae et versus de mysterio misse, praeterea nonnulla spuria quae collegi in appendicem articuli mei; versificationes allegoriarum plerumque 'epigrammata biblica' vocatas, quarum partem genuinam partem spuriam censeo; denique collectionem variorum poematum quibus Beaugendre nomen 'carmina miscellanea' dedit, quam nunc iterum post Beaugendre edere mihi temere proposui. haec 'miscellanea' disposuit Beaugendre nulla ratione usus neque ordinem codicis ullius secutus. cum mihi visus sit ordo eius editionis inutilis atque deponendus, ordinem codicis **D** suscipere censui, qui et poemata plurima exhibeat et quasi princeps sit familiae *α*. itaque poemata 1–43 secundum ordinem codicis **D**; poemata 44–54, quae desunt codicibus plerisque familiae *α*, secundum ordinem **KZ**, codicum principalium familiae *φ*, disposita sunt. illa editionis principis 'carmina miscellanea' brevitatis causa contraxit Wilmart in 'Misc'. in editione sequuntur (col. 1365–1370) 'carmina indifferentia' (a Wilmart 'Ind' designata). addidit etiam Bourassé in editione apud

Patrologiae Latinae col. 1447–1458 supplementum aliud (apud Wilmart 'Supp.')[1]).
In hac editione mea nomina illa usitata misc ind supp Hau (i. e. poemata quae primus edidit Hauréau in libello suo) poematibus illis reliqui quae spuria esse videntur: genuina Hildeberti poemata numero mero designamus sine nomine. epigrammata biblica divisit Beaugendre in classes duas videlicet 'ex vetere testamento' et 'ex novo testamento' quibus aliud supplementum addidit (col. 1229, P. L. 171. 1279). hos designat Wilmart Vt, Nt, Supp. I. his de nomenclatura poematum praemissis, transeamus nunc ad codices, quos describam iuxta ordinem familiarum.

I. DE CODICIBVS

D Dublinensis bibl. coll. Trinitatis B. 2. 17 (Abbott no. 184) saec. xii med., binis columnis, 51 lineis exaratus. initiales litterae rubrae et virides, quae tamen desunt ei parti quae Hildeberti carmina continet. continet codex epistolas Ivonis Carnotensis et Hildeberti, vitam s. Mariae Aegyptiacae et (fol. 139B–142^{v} A) poemata, quorum est ordo: 1–17, poema inc. 'cum Thetis et Bachus', 18–43. lectionem textus profert plerumque bonam sed scribae erroribus aliquando foedatam. scriptus Glocestriae apud monasterium s. Petri multas post vices in tutelam coll. Trin. devenit de bibliotheca Jac. Usseri (cf. *Catalogue of the library of John, Ld. Lumley*, ed. Brit. Mus., Lond., 1956, pp. 119, 304).

B Parisinus lat. 14194 saec. xii. ex., prov. de s. Germano a Pratis, 32–33 longis lineis exaratus. initiales litterae rubrae ornamento caeruleo instructae. lectio textus optima est, sed codex mutilus in fine continet (fol. 160–164^{v}) solum poemata 1–27, quorum ultimum imperfectum desinit. hunc codicem ignoravit Beaugendre, sed usus est Hauréau (cf. *Mélanges* p. 27 et passim).

1) Wilmart exponit quomodo contraxerit titulos Beaugendrianos, art. cit. *Rev. Bén.* 48 p. 18 n. 1.

T Turonensis bibl. mun. 890, quem exaratum esse paulo post annum 1175 censebat Wilmart, infeliciter periit anno 1940 Alemannis civitatem Turonum oppugnantibus. Wilmart tamen plenissime descripsit codicem art. cit. pp. 20–40, de cuius descriptione subsequentia carmina sive Hildeberti sive Hildeberto adscripta excerpsimus (numeri uncis inclusi sunt quos habent poemata in tabula Wilmartiana): (1) St. Mary, (9) 44, vv. 4,5, (31) 20, (32) Misc. 51, (36) 40, (37) 21, (48) poema inc. 'est ratio', (49) poema inc. 'signant tres partes', (50) 23, (51) 1, (52) 7, (53) 9, (54) 12, (55) 13, (56) 8, (57) 54, (58) 42, (59) 39, (61–125) Epigrammata Biblica, (274) 2, (275) 4, (276) 5, (277) 10, (278) 11, (279) 14, (280) 15, (281) 16, (282) 17, (283) 18, (284) 19, (285) 22, (286) 25, (287) 28, (288) 29, (289) 33, (290) 34, (291) 35, (292) 36, (293) 38, (294) 49.

A Parisinus lat. 7596 A saec. xii primae partis. provenit de monasterio Trinitatis Saviniaci. codex grandis (365 × 250 mm), binis columnis, 42 lineis exaratus. litterae initiales parvae sunt, rubrae et caeruleae sine ornamento, cuius colores aeque ac atramentum textus ipsius quibusdam in locis paene perierunt. post Isidori Etymologias continet (fol. 164–171): 3, 5, 20, 21, 22, 23, 25, 34, 39, 40, Hau. 30, De Querimonia cantus IV, 45, 42, 43, versus de mysterio misse, 6, misc. 68, 50, misc. 110^2, poema inc. 'Garganus mons est', misc. 130. post fol. 166 ordo foliorum turbatus est, qui rectius fol. 166, 169, 170, 167, 168 esse debet.

Continet praeterea (fol. 171) poemata quaedam alia manu exarata, sed fere eodem tempore quo cetera, videlicet: 16, poema inc. 'rex obit', misc. 132, misc. 124, misc. 133, 2. hanc partem codicis designat Wilmart A^2. lectio textus codicis **A** optima est omnium Hildeberti codicum, cui si Beaugendre magis consuluisset (usus est sub nomine 'Colbertinus 1050') errores plurimos in editione sua evitavisset.

C Londinensis Mus. Brit. Cottonianus Cleopatra C. I saec. xii. provenit de monasterio Petriburgensi. binis columnis, 36 lineis eleganter exaratus. litterae initiales

caeruleae, rubrae, virides sunt sine ornamento. continet (fol. 1–35) primo florilegium parvum poematum, quorum pleraque Hildeberti sunt, videlicet: 51, 17, vita s. Mariae Aegypt., 36, 38, 22, 26, 37, 35, 18, 46, 50, 39, 40, 42; deinde (fol. 17) epigrammata biblica inter quae poemata 34, 3, 20, 21, 45, 56.

Ko Hafniensis, bibl. universitatis (nunc apud. bibl. regiam asservatae) Fabric. 81 saec. xii ex. hoc florilegium primus excussit P. Lehmann in articulo apud *Hist. Vierteljahrsschrift (N. Folge)* 30, 1935, 20–58 et 415. provenit de monasterio ss. Cosmae et Damiani apud Liesborn in Guestfalia. continet (fol. 14–25) versus de myst. misse, 39 IV, 40, 39 II, (fol. 25^{v}) 1, 4, 11 / 12, 13, (fol. 42) 55, 21, poema inc. 'est ratio', poema inc. 'sol hodie nobis', (fol. 44) 20 / 3 / 34, (fol. 45) 5 / nt. 25, misc. 132, (fol. 72) 36, (fol. 72^{v}) 50, (fol. 73^{v}) 51, 38, 18, (fol. 76) 23, (fol. 95^{v}) poema inc. 'est ratio' (bis), poema inc. 'quid statio dextra'.

He Herefordensis cath. eccles. P. I. 15 saec. xii med. provenit de conventu fratrum minorum Herefordiae. binis columnis, 30 lineis exaratus, codex mutilus in fine, qui continet (fol. 155) vitam s. Mariae, poemata 1–17, poema inc. 'cum Thetis et Bachus', 18–29.

Frag. Londinense Mus. Brit. inter additicios 6158 saec. xiv. continet (fol. 146) poemata 1–6, 8, 11–13.

K Londinensis Mus. Brit. inter additicios 24199 saec. xii ex. provenit de monasterio s. Edmundi apud Bury (cf. M. R. James, *Cambridge Antiq. Soc. Publications* 28, 1895, 71). binis columnis, 42 lineis manu grandi sed satis eleganti exaratus. initiales desunt, miniatore officii sui oblito. primam partem codicis occupat textus Prudentii Psychomachiae saec. undecimo scripta et scenis textum illustrantibus eleganter ornata. florilegium quod nos attinet poemata includit et Hildeberti et Marbodi (fol. 39 sqq.). describunt Wilmart art. cit. p. 169, A. Boutemy apud ephem. *Latomus* 2, 1938, 30–52. lectio textus bona est, hoc excepto quod omittit scriba versus aliquot. continet

Hildeberti poemata (fol. 39–56): versus de myst. misse 44, 45, 39, 21, 40, 20, 15, 26, 18, 46, 47, misc. 108, 32, 24, 48, 16, 22, 37, de querimonia, vitam s. Mariae, 34, 1, 43, 23, 2, 49, 36, 50, 51, poema inc. 'hec dicas laicis', 52 / (fol. 75) misc. 113, misc. 114.

Z Parisinus Bibl. Nat., collectionis Baluzianae 120 (cf. *Cat. des MSS. Baluze*, Auvray, Poupardin, p. 121). collationes a Baluzio comparatae cum in animo esset edere Hildeberti poemata. Hauréau primus eas excussit et inde poemata traxit quae publici iuris fecit in capitulo tertio libelli eius. poemata (fol. 318) duobus manibus exarantur quarum neutra Baluzii esse videtur. prima manus fol. 318–327, 342^{v}, secunda $327–342^{R}$ curat. fol. 343, 344 aliunde se inculcavisse videntur, quae tertiae manus sint atque paginationis expertes. postea (fol. 349) sequuntur collationes epistolarum et libri de querimonia et epigrammatum biblicorum, deinde (fol. 371^{v}) alia series poematum minorum quarta manu exarata quae forte Baluzii ipsius sit. quam seriem Z^2 designat Wilmart. itaque codex continet: 39, poema inc. 'est ratio', 21, 40, 20, 15, 26, 18, 46, 47, misc. 108, 32, 24, 48, 16, 22, 37, 34, 1, 43, 23, 2, 49, 50, 51, Hau 5, 7, misc. 113, misc. 114, 14, 9, 33, Hau 9, Hau 10, 44, 52, 36, 38, 25, 8, Hau 12b, 5, 53, 30, Hau 15, 54, Hau 16, misc. 78, 55, Hau 17, 17, misc. 51, Hau 18, Hau 19, vitam s. Mariae, 31, Hau 21, 28, 41, 22, Ins 57. continet Z^2: 21, poema inc. 'est ratio', Hau 23, poema inc. 'ara crucis', Ins 45, Ins 7^2, Hau 24, misc. 51, misc. 118, Marbodi Var. I. 25, poema inc. 'mundus abit' (Serlonis Wiltonensis), 34, 22, Ins 57, 36, 38, Hau 25.

H Londinensis, Mus. Brit. Harleianus 2621 saec. xiii. longis lineis 31 presse atque eleganter exaratus. litterae initiales rubrae et caeruleae parvo ornamento instructae. primus eum excussit E. H. Alton, *Hermathena* 46, 147. elegantiae scripturae codicis non congruit lectio textus parum accurata. continet inter Horatii epistolas et sermones (fol. 33–35) poema inc. 'me faciem', 17, 8, 47, Hau 17, 48, 23, 46, 26, 1, 31, 53 (imperf.).

N Parisinus lat. 3761 saec. xii ex. sive xiii in. codex minutus (120×80 mm), eleganter exaratus. continet (fol. 62–75) florilegium cuius medium locum (fol. 66v–72) occupat series continua Hildeberti poematum: 28, 17, 9, 30, Hau 17, Hau 5, 8, 46, 48, 47, 26, 51, 23, 53, 22, 36, 50. hoc codice usus est T. Pressel in articulo suo 'Supplément à l'Anthologie Latine' apud ephem. *Revue de Philologie* 1, 1845, 407–414. publici iuris fecit 9, Hau 17, Hau 5, 8, 46, 48, 47, 22, quorum admisit Riese in *Anthologiam Latinam* (ed. anno 1894) 48, Hau 5.

E Parisinus lat. 14867 saec. xii ex. provenit de monasterio s. Victoris. 27 longis lineis exaratus. litterae initiales rubrae et caeruleae quarum quaeque ornamento coloris contrarii instructa est. nihil nisi Hildeberti opera continet, videlicet librum de querimonia, epistolas, sermones, vitam s. Mariae, versus de mysterio misse, denique undecim poemata minora (fol. 166–176). usus est hoc codice Jac. Hommey. nescio utrum Beaugendre editione Hommeiana interdum usus sit an codici ipsi (quem designat 's. Victor 272') semper consuluerit. textus neglegenter exaratus continet poemata 45, 40, poema inc. 'est ratio', 21, 55, 22, 36, 38, 20, misc. 51, Marbodi carm. var. I. 11, 50.

F Trecensis bibl. mun. 887 saec. xii partis posterioris. provenit de Clara Valle. binis columnis, 30 lineis exaratus. initiales litterae rubrae sine ornamento. continet (fol. 163v B–170v) versus de mysterio misse, 45, 39, 21, 40, 5, 2, 3, 34, misc. 123, 4, 20, 57, poema inc. 'est ratio', poema inc. 'hic leo dormivit'. exscriptus est de hoc codice Trecensi cod. Berolinensis 170 (Phillip. 1685) saec. xiv, quare nescio qua de causa Wilmart in tabula codicum Berolinensem incluserit, Trecensem relegaverit in calcem paginae. textus vitae s. Mariae quae exstat in Berolinensi videtur ex codice alio nescioquo emanasse.

I Berolinensis bibl. nat. 180 (Phillip. 1694) saec. xii. provenit de monasterio s. Arnulfi Mettensis. binis columnis, 42 lineis exaratus. initiales litterae minutae rubrae, caeruleae, virides. plenius descripserunt W. Wattenbach

apud *N. A.* 17, 1891, 2, 351 et V. Rose, *Die Handschriften-Verzeichnisse der Kgl. Bibl. zu Berlin, Verzeichnis der lat. Handschriften,* Berlin 1893, 397. continet post epistolas Ivonis Carnotensis florilegium in quo includuntur: versus de mysterio misse, poema inc. 'est ratio' / 21, 5 / 39, 45, vita s. Mariae / 19, 34, 50, 22.

P Monacensis 16073 saec. xii ex. sive xiii in. provenit de conventu canonicorum s. Augustini apud Passau. deficiunt folia aliquot post fol. 24, unde initio caret poema 50. continet (fol. 1–29^{v}): 55, 40, versus de myst. misse, vt 42, misc. 132, 57, misc. 119, poema inc. 'salve festa dies', 45, 21, 51, supp. 13, 2 / 50, misc. 51, 34, poema inc. 'sub tecto', 39. usus est codice G. M. Dreves in editione poematum 55, 'salve festa dies', atque misc. 51 apud *Analecta Hymnica* 50, 409.

G Vindobonensis bibl. nat. 2521 saec. xii. provenit de Bamberga. descripsit S. Endlicher, *Cat. codd. philolog. Vind.*, Vindobonis 1836, 165–180. continet (fol. 34^{v}–66^{v}): 24 / 23 / 16, 44 / 5, 20 / 45, poema inc. 'est ratio', misc. 68 / 51, 3, 21, 57, 34, 18 / 22, 26, 46, 17, Hau 5 / 53, 30, vitam s. Mariae / (fol. 108^{v}) versus de mysterio misse. series continua decem Hildeberti poemata complectens conspicua est quippe quae e florilegio immenso velut insula quaedam exstet. ad hoc lectio textus melior est quam in florilegio exspectes.

L Oxoniensis Bodleianus Laudianus lat. 86 saec. xiii. duabus manibus exaratus: 1) fol. 97–110, 2) fol. 110–116. continet (fol. 97): versus de mysterio misse, (fol. 110) 34, 3, 2, 36, 23, poema inc. 'Pyeridum ter trina' (Abaelardi epitaphium), 8, poema inc. 'obscuros versus', 33, 7, 9, 5, 22 / 24, poema inc. 'parvus erat limes', 47, 50, misc. 68.

M Oxoniensis Bodleianus Rawlinsonianus G 109 saec. xiii in., ut Wilmart videbatur (art. cit. 171), in Gallia scriptus et inde ad Angliam portatus. continet primo Hugonis Primatis poemata, deinde florilegium quod circiter centum quadraginta poemata complectitur. pleraque Hildeberti poematum congregantur in duas series

continuas quarum altera (apud pag. 31) sex, altera (apud pag. 89) quattuor continet. poemata haec sunt: 50, 23, poema inc. 'dum colo miliciam', 48, 22, 38, 36, poema inc. 'ius perit', poema inc. 'insula Meldis', misc. 51, poema inc. 'morte professa' (cf. *Rev. Bén.* 49, 381), 52, ind. 17, poema inc. 'nitor ad impar opus', ind. 1, misc. 27 / misc. 118 / misc. 77 / misc. 138 / ind. 15, ind. 16 / misc. 137 / misc. 33 / 15 / Hau 25 / 4, 9, 10, 25 / misc. 55, misc. 132.

R Turicensis bibl. centralis C 58 / 275 saec. xii ex. plenissime descripsit Jac. Werner, *Beiträge* 1–151. lectio textus pessima omnium codicum est, quare eam perraro adhibui in apparatum. numeri uncis inclusi sunt quos habent poemata in descriptione Werneriana. continet: (17) 36, (69) 50, (78) misc. 119, (82) 34, (88) Hau 30, (115) 21, (129) misc. 32, (151) 8, (152) 47, || (158) ind. 12, (175) 40, (176) 45, (180) 21 bis, (181) 57, (210) 17, (211) 8 bis, (212) 47 bis, (213) Hau 17, (223) 22, (270) 2, (271) 5.

II. DE CODICVM FAMILIIS

Cum primum opus editionis huius susceperim, catalogos bibliothecarum quae codices Hildeberti poemata continentes exhiberent perscrutatus, inveni praeter viginti supra descriptos prope ducentos septuaginta minoris momenti qui continebant poemata aliquot auctoris nostri. quorum nonnulli usui erant mihi poemata genuina a spuriis decernenti, sed partem maximam praeterii, qui nihil mihi prodessent, lectori qui apparatu critico uti vellet multum obessent. itaque, si lector otiosus tempus vult terere codicum horum indici consulat apud dissertationem meam in bibliotheca Bodleiana asservatam. sed quae cognatio sit inter codices illos viginti nunc disserere conor. si consulueris, lector, apparatui critico editionis huius, mox tibi apparebit duas recensiones esse textus, quas *α* et *φ* designavimus. recensionis illius sunt codices **DBTACKo** (qui tamen lectiones recensionis *φ* in poematibus aliquot retinet) **He** et frag. Londinense, huius alii quos vidi omnes nullo excepto. praeterea codices recensionis *α* in duas partes dividi possunt, quarum prima

codd. **DBTKoHe** Frag. Lond., qui omnes ordinem eundem poematum exhibent, altera codd. **AC** complectitur, qui quod attinet ordinem poematum et discrepant inter se et dissimiles codicum aliorum sunt, quamquam textum eiusdem recensionis omnes communiter habent. exhibent tamen nobis codices **AC** poemata 45 et 50, necnon metrum quartum libri de querimonia, quae tria desunt codd. aliis huius recensionis, unde liquet eos affinitatem nescioquam habere inter se, quae qualis sit non possum accuratius discernere. poemata quae exhibet **A**[2] scilicet sunt recensionis φ.

Codices **DB** artissime cognati esse videntur, qui ordinem eundem poematum atque titulos eosdem habeant, sed **D** ex **B** non descriptum esse patet, nam **D** continet poema inc. 'cum Thetis et Bachus' quod non invenies apud **B**. atqui pluribus in locis habet **B** lectionem genuinam, **D** corruptam, e. g. 17. 4 quos **D**: quod **BC**, 17. 20 quemque **D**: quamque codd. alii; 25. 5 sibi **D**: ibi codd. alii. unde colligi potest **B** ex **D** non descriptum. patriam habet Angliam occidentalem **He** aeque ac **D**, et fere eodem tempore exarati sunt. locis in illis ubi praebet **D** lectionem aut pravam aut ab lectione codicum aliorum omnium discrepantem lectionem **D** secutus est **He** vide: 12. 1 crede: credo; 12. 2 patre: parem; 17. 20 quamque: quemque; 18. 28 nil[2]: vel; 22. 70 premia: predia; 25. 5 ibi: sibi; 17. 14 quos **DHe**: quod α. cum poema 19 describeret scriba cod. **He**, 'egereretur' quod vidit apud **D** primo descripsit, deinde in 'egrederetur' lectionem scilicet faciliorem mutavit. his autem exemplis opponenda sunt 17. 23 relinquit **BHe**: reliquit **DC** codicesque alii; 22. 14 dedidicisse **He**: dedicisse **D**. quarum lectionum prima scilicet exoritur ex negligentia scribae, secunda tamen difficilior est et quasi expers solutionis. nihilominus hac non impedior quin **He** ex **D** descriptum esse existimem.

Quae affinitas esset codici **T** cum **DB** possumus conicere de ordine et titulis poematum. codicem Wilmart divisit in novem partes quarum I, II, III et VII poemata Hildeberti genuina continebant. pars prima eadem fere poemata continet quae mox apud codd. **EFIP** reperie-

mus; tertia autem epigrammata biblica affert. sed secunda et septima series poematum habent quae ordinem codd. **DB** sequuntur, hoc excepto quod florilegii **T** compositor, codice usus simili codd. **DB**, primo novem Hildeberti poemata selegit, deinde post spatium ingens reversus ad poetam nostrum viginti poemata praeterea descripsit. de ratione qua usus est plenius disserui apud art. cit. p. 52. florilegium minoris momenti est **Ko**, per quod late dispersa sint Hildeberti poemata, quorum praeterea pars maior (omnia scilicet post 55 sequentia) lectiones easdem quas codd. alii recensionis *φ* exhibere videatur. series tamen continua Hildeberti poematum invenitur apud fol. 24 vide. 1, 4, 11, 12, 13, quae ordine et lectione textus se ex codice recensionis *α* descriptam esse profitetur. haec de codicibus huius recensionis *α* sufficiant.

Recensionis *φ* codices innumeri ordinem varium poematum exhibentes vix nobis permittunt ut eorum affinitates accurate investigemus, quae quidem investigatio vix utilis mihi videtur, quod attinet ad textum meliorem reddendum. sed maxime oportet nos codices **KZ** discutere. nam uterque poematum seriem continuam praelongamque continet, atque locis in quibusdam aut solus aut paucis cum codicibus aliis textum tradit. complectitur **K**: 1) seriem Hildeberti poematum; 2) fol. 56 B, seriem Marbodi poematum; 3) fol. 68^{v}, florilegium per quod sparguntur quaedam Marbodi poemata. descriptiones codicum quas supra feci, te, lector, certiorem facient codd. **K** et **Z** eundem fere ordinem poematum habere a quarto poemate apud **K** (i. e. poemate 39) et a primo poemate apud **Z** usque ad poema 51, quod paene ultimum est apud **K**, sed apud **Z** medium tenet ordinem. poemata intra hos terminos inclusa in codice utroque ‘seriem communem’ designamus. itaque apud **Z** hanc seriem sequuntur poemata alia triginta sex, quorum pauca sunt apud **K** extra seriem communem, plures autem omnino cod. **K** desunt. ergo necesse est ut duo comperiamus, primo num poemata quae videamus apud partem posteriorem cod. **Z** atque apud **K** extra seriem communem eundem parentem habeant quam poemata quae intra seriem communem in utroque

continueantur; secundo, unde venerint poemata alia partis posterioris cod. **Z**. sed prius disputemus de illo parente communi poematum intra seriem in codice utroque inventorum.

Opinati sunt et Hauréau et Wilmart partem priorem cod. **Z** scribam Baluzii descripsisse ex codice illo Ebroicensi quo usus est Beaugendre (cf. praefationis illius p. iii). quibus haec affirmantibus libenter assentior. codex Ebroicensis quidem iamdudum desideratur, sed quae poemata continuerit partim possumus conicere. nam poematum in serie communi novem sunt quae apud editionem Beaugendrianam 'e ms. Ebroic.' provenisse dicuntur, scilicet: 20, 26, 46, 47, misc. 108, 37, 43, 51, misc. 113. praeterea alia sex sunt quibus editor adhibuit codices plures inter quos Ebroicensem, scilicet: 39, 18, 22, 34, 49, 50. duo tantum sunt, (15, 23) quae in serie communi inveniuntur, quae tamen Beaugendre de codice Turonensi, non Ebroicensi se traxisse autumat. haec quoque apud Ebroicensem et Turonensem eum invenisse, sed postea codicis illius oblitum esse existimo. lectiones varias Beaugendre perraro citat. duas tamen lectiones Ebroicensi attribuit, quas etiam apud **Z** (dico illam partem priorem) videmus, videlicet 22. 9 ager; 22. 53 prope congerit. ad hoc praefationem poematis 39 deesse in Ebroicensi affirmat Beaugendre, deest eadem in **KZ**. quae omnia si respexeris, lector, non dubito quin partem primam cod. **Z** ex Ebroicensi descriptam opinaturus sis. nunc restat ut requiramus utrum poemata partis posterioris **Z** eodem de codice Ebroicensi an aliunde descripta sint.

Vitam saltem s. Mariae de hoc codice descriptam esse pro certo habeo. in praefatione enim editionis (col. 1262) affirmat Beaugendre se vitam in cantus divisisse quos vidisset in cod. Ebroicensi. easdem divisiones apud cod. **Z** inveni. praeterea lectiones textus per centum fere lineas priores scrutatus inveni apud **Z** omnes lectiones varias quas attribuit Ebroicensi Beaugendre, duobus exceptis (v. 28 memores **Z**: meaiores Ebr. cit. apud Beaugendre; v. 122 gnatus **Z**: gnarus Ebr. cit. apud Beaug.). sed poemata quae sequuntur vitam s. Mariae aliunde descripta

esse mihi videntur, quorum 28 et ins. 57 descripta sunt ab editore de codd. Turonensi et Parisino, 31 et 41 alibi non inveniuntur nisi apud codd. **DH**, quare textum eorum apud **Z** descriptum esse ex codice aliquo recensionem *α* exhibente censeo. itaque poemata amplius investiganda sunt quae post 51, ante vitam s. Mariae collocantur. hac in parte codicis poemata nonnulla videmus quae se traxisse de Ebroicensi confitetur Beaugendre, videlicet misc. 113, misc. 78, 5, 55, 52. quod mihi videtur satis demonstrare haec poemata de eodem Ebroicensi traxisse scribam Baluzii. alia sunt quae, quamquam non sunt in serie codicibus **K** et **Z** communi, sparguntur tamen per illud florilegium quod partem posteriorem cod. **K** implet. non dubito quin codices **K** et Ebroicensis parentem communem habuerint, quare omnia partis posterioris cod. **Z** quae inveni etiam apud **K** extra seriem communem existimavi ex Ebroicensi descripta, videlicet misc. 114, 44, Hau 9, Hau 10, 36. itaque habemus seriem quasi compactam atque solidam poematum ex Ebroicensi descriptorum.

Poematum quae restant nobis hac in parte codicis pleraque ex codice quodam recensionis *α* describuntur, quod quidem perspicue videbis, si codices alios respicis qui haec poemata contineant: 7 exhibent etiam **DBT**; 14 **DBT**; 38 **DTCKoEM**; 25 **DBTAM**, 8 **DTHN**; 54 **T**. haec siglo *α* designavi in tabula infra scripta. poemata 53, 30, Hau 17, 17 invenies etiam apud **HN** qui codices poemata nonnulla communia habent cum **KZ**, unde possunt descripta esse de Ebroicensi, sed hoc pro certo non habeo. eis siglum **x** in tabula imposui.

His siglis usus sum ut manifestum sit lectori scribam Baluzii et codicem Ebroicensem et codicem recensionis *α* ante oculos habuisse atque poemata aliquot hinc illinc excerpsisse. maximi momenti est novisse partem posteriorem cod. **Z** ex codicibus recensionis utriusque esse compositam. nam hoc cognito, lectiones quasdam textus videmus, quae antea certissimae videbantur, nixae duobus testibus altero familiae **KZ**, altero familiae **DBT**, nunc fidei aliquanto levioris factas, ut quae re vera de codicibus duobus eiusdem familiae exoriantur.

Iam dixi codices **HN** poemata nonnulla communia cum **KZ** habere, quorum pleraque paucis in codicibus extant. Sed eundem ordinem poematum non exhibent, neque usquam lectiones codd. **KZHN** inter se consentiunt contra codices alios recensionis φ. codices **HN** cognatos esse satis apparet. nam quamquam ordinem eundem poematum non habent, lectiones tamen varias easdem semper reddunt, una excepta 8. 2 cum prece **HR**: per sacra **NZ**.

Tria sunt quae codices **EFIP** ab aliis recensionis φ codicibus distinguunt: collectionem parvam Hildeberti poematum sacrorum (i. e. versus de myst. misse, 45, 21, 40, 39) proferunt; parum utiles sunt ad textus poematum confirmationem; poemata nulla exhibent quae in codicibus aliis non inveniuntur. qui codices quasi editionem vulgatam Hildeberti poematum praebent. horum codices **FI** cognatos esse ex congruentia lectionum variarum apparet. sed, quod attinet ad textum poematis de mysterio misse, codd. **I** et **P** lectiones varias easdem habent, e. g. v. 130 unda **IP**: una codd.; v. 178 libet **IP**: licet codd.; 306 commemoranda **IP**: -ando codd.; 358 perpetuusque **KFIP**: -ansque codd. denique quo modo quattuor codices inter se nectantur accuratius describere me nequire confiteor. nolo autem dicere aliquid de affinitatibus florilegiorum **GLMR**. lectiones eorum varias apte exprimunt haec verba A. E. Housman Lucani Bellum civile edentis (apud praef. p. vii), 'The true line of division is between the variants themselves, not between the manuscripts which offer them. The manuscripts group themselves not in families but in factions ... and the utmost which can be done is to note the comparative frequency of their shifting alliances'.

TABVLA

Ordo poematum apud cod. Z.	numerus ed. novae	numerus ed. veteris	codices alii qui poema exhibent
x 26		Hau 5	**GN**
α 27	7	Hau 6	**DBT**
28		misc 113	Ebr.
29		misc 114	Ebr.
α 30	14	misc 140	**DBT**
α 31	9	Hau 7	**DBTNLM**
α 32	33	Hau 8	**DTL**
33		Hau 9	Cotton Vit. A. XII
34		Hau 10	Ebr.
35	44	Hau 11	Ebr.
36	52	Hau 12	Ebr.
37	36	misc 63	Ebr.
α 38	38	misc 64	**DTCKoEM**
α 39	25	misc 61	**DBTAM**
α? 40	8	ind. 13	**DBHNLR**
41		Hau 12b	–
42	5	misc 58	Ebr.
x 43	53	Hau 13	**HNG**
x 44	30	Hau 14	**DNG**
45		Hau 15	–
α 46	54	misc 57	**T**
47		Hau 16	–
48		misc 78	Ebr.
49	55	misc 71	Ebr.
x 50		Hau 17	**NR**
x 51	17	misc 60	**DBTCHNGR**
52		misc 51	Ebr.
53		Hau 18	–
54		Hau 19	–
55	vita s. Mariae		Ebr.
α 56	31	Hau 20	**DH**
57		Hau 21	–
α 58	28	misc 45	**DT**
α 59	41	Hau 22	**D**
60	22	misc 75	codices fere omnes

III. DE RECENSIONIBVS

Transeamus igitur ad recensiones duas quas *α* et *φ* designavimus. has veras recensiones esse, neque series tantum lectionum variarum ad duas familias codicum pertinentes tibi, lector, apparebit, si cogitaveris versus totos atque membra versuum alteram speciem in codicibus **DBACKoHe**, alteram in aliis praebere. accedit quod lectionem utramque raro possumus improbare propter inelegantiam, numquam propter constructionem verborum pravam aut metra inepta. itaque haec aequalitas duarum recensionum mihi persuasit utramque Hildebertum auctorem habere. Willelmus Malmesbiriensis, qui opus Gesta regum denominatum scribebat ante annum 1118 (cf. *Journal of Eccles. Hist.* 13, 1962, 42), citat poemata 18 et 36 (G. R. III. 284, 351). codice textum recensionis *φ* praebente usus est. Reginaldus Cantuarensis in vita sua Malchi eremitae versus Hildeberti imitatus locutiones mutuatur quae propria sunt recensionis *α*. itaque, cum codices utriusque recensionis in manibus litteratorum essent, Hildeberto adhuc vivo, Hildebertum auctorem utriusque ponere haud absurdum videtur. quo constituto, nos oportet seriem exponere locorum qui diversitatem recensionum illustrant. sed caute nobis agendum est. loci enim sunt plures ubi lectio unius codicis recensionis *φ* opponitur lectioni codd. recensionem *α* exhibentium. quod quandocumque accidit, nescimus utrum lectio illa propria sit codici illi an lectio vera sit recensionis *φ*. lectiones quoque codicum **AC** lectionibus codicum recensionis *φ* oppositas praetermisi, si eas inveni in poematibus quibus codices aliae recensionis *α* textum nobis non praebent. nihil enim obstat quominus hae lectiones codicibus **AC** propriae sint. sed his dubiis omissis loci triginta restant qui differentiam recensionum demonstrant, videlicet

8.2 per superos *φ*: submissis precibus *α*
17.4 et placuisse *φ*: teque placere *α*
13 nec iam divitibus tollunt sua crimina nomen *φ*: divitibusque reis non tollunt crimina nomen *α*

14 equat habere deis *φ*: gratia solvit opum *α* quos *φ* D: quod *α*
16 sepe *φ*: sponte *α*
18 sustulit *φ*: sustinet *α* G
22 divinum carmen *φ*: divinos vates *α* Z

18.6 qua decus et rerum forma ruina fuit *φ* D:
qua rerum columen qua decus occubuit *α*

22.2 fata secunda *φ*: prospera fata *α*
11 cetera quid referam mestos solantia vultus *φ*:
singula quid memorem letos testantia casus *α* (*conflat versiones* L)
15 mirabar sic te *φ*: denique mirabar *α*
30 non impune favet aut sine fine premit *φ*:
nec favet eternum nec sine fine premit *α*
34 illa *φ*: ipsa *α* L
35 illa *φ*: ipsa *α*
37 insuper exhausit *φ*: hec eadem fregit *α*
53 congerit *φ*: congregat *α* L
63 hoc est hoc hominis semper cum tempore labi *φ*:
est hominis semper fluere et cum tempore labi *α*
71 opes *φ*: honor *α*
81 crescendi studium rebus metitur et illas *φ*:
distinctis idem cursum metitur *α*
84 et qua sit *φ*: atque ubi sit *α*
90 digerat *φ*: proferat *α*

26.8 sacrum *φ*: tuum *α*
13–16 *om.*, 17, 18 *post* 19, 20 *ponit* *α*
27 reliquit *φ*: relinquit *α*
29 poscere *φ*: querere *α*
31,32 *om.* *α*

36.19, 20 urbs cecidit, de qua si quicquam dicere dignum
moliar, hoc potero dicere 'Roma fuit' *φ*
pro dolor urbs cecidit cuius dum specto ruinas
penso statum solitus dicere 'Roma fuit'. *α* ZE
25 marmorque novum *φ*: ebur et marmor *α* ZE
27 machina *φ*: fabrica *α* ZE

39 I.7 peccato *φ*: delicto -is *α*

Hanc seriem lectionum scrutantem non fallet codices quosdam lectiones recensionis alterius aliquando accipere.

Cum iam differentias singulas recensionum descripserim, restat ut decernamus quae sit recensio prior, quae posterior. posteriorem in textum adsciscere editoris prudentis esse videtur, quae elegantior atque limatior esse debeat. hac autem in re erraverunt priores, qui recensiones discernere non scirent, et lectiones modo huius,

modo illius recensionis adoptarent.[1] mea quidem sententia sola indicia editionis posterioris esse debent structura verborum levior atque metra emendata, quibus addere nobis liceat testimonia quae afferunt scriptores alii eiusdem temporis. si prior esset recensio *φ*, lectiones recensionis *α* textum elegantiorem praeberent. quod quidem verum esse videtur, si 22. 81 et 26. 8 spectas. sed his in locis lectio *φ*, quamquam minus elegantiae forsitan habeat, potest tamen construi neque errorem ullum metrum exhibet. e contrario, tempus verbi praeteritum quod dat lectio recensionis *φ* apud 17. 18 et 26. 27 potius est quam praesens. malo etiam 'illa' recensionis *φ* apud 22. 34, 35. quamquam scriptores alii medii aevi nonnumquam 'ipse' pro 'ille' utuntur (cf. K. Strecker, *Introduction to Medieval Latin*, English translation and revision by Robert B. Palmer, Berlin 1957, p. 63) et Hildebertus 'is' pro 'ille' (39 IV. 12) et 'ille' pro 'is' (22. 69) substituit, nihilominus in eius carminibus 'ipse' locum 'ille' numquam usurpare videtur. quae omnia quisquilias atque nugas esse forsitan existimes. sed momenti maioris est illa lectionum differentia quam invenies apud 22. 63 et 22. 84, ubi vitat elisionem recensio *φ*, retinet recensio *α*. omnes qui post Ovidium elegos scripserunt praecipueque poetae saeculi duodecimi elisiones vitabant quoad poterant[2]. Hildebertus ipse elisiones vitat per totam vitam s. Mariae atque epigrammata biblica. carmina minora eius continent elisiones viginti duo, versus de mysterio misse novem. quare mihi persuasum est ut poeta noster, cum carmina limaret atque in recensionem alteram redigeret, elisiones quas viderit erasurus fuerit, elisiones novas non fuerit creaturus. denique redeamus ad vitam Malchi quam composuit ante annum 1107 Reginaldus monachus.[3] qui

---

1) Hunc errorem etiamnunc repetitum videbis a viro doctissimo qui edidit denuo *The Oxford Book of Medieval Latin verse.*

2) Cf. etiam notam viri eruditi W. B. Sedgewick de auctoribus artium poeticarum, *Speculum* 3, 1928, 360, et D. Norberg, *Introduction à l'étude de la versification latine médiévale,* Stockholmiae 1958, 32.

3) Quod demonstrat L. R. Lind in editionis pag. 11.

in versu 'singula quid memorem vitae plangendo laborem' (III. 75) imitatur versum Hildeberti (22. 11) qui in codicibus recensionis *α* legitur:

'singula quid memorem letos testantia casus', unde patet hanc recensionem poematis exstitisse ante annum 1107. quoniam Hildebertus hoc poema paulo post exilium suum, i.e. post annum 1100, composuit, restat spatium sex annorum intra cuius terminos duo recensiones poematum comprimendae sunt, si recensionem *α* posteriorem ponimus. his de causis recensionem *φ* posteriorem esse existimo, et illam in textum meum recepi.

Haec de recensionibus sufficiant, sed hic breviter disserere volo de ordine quattuor partium poematis 39, qui valde discrepat in codicibus. nam haec quaestio attinet ad illam differentiam recensionum, atque maiorem habet in se materiam quam quae in apparatu critico concludatur. prima pars huius poematis, quae formam rhythmicam habet 8 ‿ ‿ + 7 ‿ ‿ vel 15 ‿ ‿ (Meyer I. 204) summatim declarat quare tria sacramenta novae legis veteribus illis Iudaeorum successerint. itaque versus 1, 2 (quos magis convenit I a nuncupare) de baptismo; versus 3–6 (I b) de coniugio; versus 7–8 (I c) de sacramento altaris tractant. duo ultimi versus (I d) poema totum breviter comprehendunt. codices **EPZ** Id omisisse et I a b c distribuisse inter partes II, III, IV manifestum erit scrutantibus tabulam insequentem. ecce autem partes poematis apud codd. singulos.

DCA	**K**	**Z**	**EP**	**FI**
I a b c d	II	II	I c	IV
II	III	I b	IV	II
III	IV	III	I a	III
IV		I c	II	
		IV	I b	
			III	

Codices **KZ**, quamquam I a–c dividisse videntur, ordinem tamen partium II–IV retinent quem videmus in codicibus **DCA**. malui igitur illum ordinem sequi, etiamsi versus 'Hostia, coniugium, baptismus qualia primo' (II. 1) Hauréau persuasit ut ordinem IV (i. e. 'hostia'),

III ('coniugium'), II ('baptismus') poema haberet. quod attinet ad partem I, ordo codicum **DCA** pertinere ad recensionem *α* existimandus est. hanc versionem nihilominus secutus sum perspicuitatis causa neve versus 9 et 10 (i. e. I d) in apparatum relegarentur. non dubito quin textus prior poematis non expers esset duorum versuum, sed versibus I a b c distributis inter partes II–IV, superfluus factus Id sit reiectus.

IV. DE TEMPORE QVO SCRIPSERIT HILDEBERTVS POEMATA

Vereor, lector, ne longitudo sermonis mei aures tuas iamdudum obtundat, quare breviter dico quae dicenda sunt de tempore quo scripserit poemata Hildebertus. sed prius titulos poematum, qui saepe nos certiores faciant de hoc ipso perstringere debemus. codices plerique titulos aliquot poematibus praefigunt, quattuor tantum seriem titulorum praebent videlicet **DBTK**. quorum **DBT** titulos eosdem[1], quod quidem exspectes, **K** titulos habet qui illis non repugnant, qui tamen sunt pleniores atque explicatiores. sequuntur tituli poematum quae continent **K** aeque ac **DB**:

1 Ad G. episcopum **DB**: Versus eiusdem ad Will. dunel. epm. **K**
15 Ad A. comitissam **DB**: Versus ad comitissam **K**
26 Ad M. literatam **DB**: Versus ad quandam virginem scilicet Muriel **K**
37 De Anglia **DBK**
2 Ad Petrum **DBT**: Cuius supra de conformacione humani seminis **K**

1) Poemati 10 praefigit titulum 'Ad M. reginam' **T**, 'Ad A. comitissam' **DB**. erravit scilicet scriba cod. **T** scilicet ad titulum poematis praecedentis incaute respiciens. tituli pauci sunt qui in codicibus **DBT** leviter discrepant videlicet: 4 'De morte' **T**: 'Ad reginam Anglorum' **DB**; 14 'Ad avarum' **T**: 'Ad P. avarum' **DB**; 18 'Epytafium Berengarii' **T**: 'De Berengario' **DB**; 22 'De lapsu huius mundi' **T**: 'De casu huius mundi' **D**; 42 'De xii patriarchis et xii gemmis' **T**: 'De xii lapidibus et nominibus filiorum Israel' **D**.

16 Ad nepotem **DBT**: Cuius supra **K**
43 Titulus deest codici **D**. Versus cuius supra ad Gauffridum abbatem Vindocinensis aecclesiae qui anulo et sandaliis utebatur episcopalibus. **K**

'Scilicet' illud quod in titulo poematis 26 apud cod. **K** videtis mihi paene persuasit ut clericus qui codicem **K** describeret, codice usus qui titulos eosdem praeberet quos apud codices **DB** nunc videamus, abbreviationes nominum coniciendo impleverit. de auctoritate codicum **DB** non dubito. multos quidem titulos conicere potuerat scriba, sive poemata sive epistolas Hildeberti diligenter legisset, e. g. 10, 15, 27, 28, 29, 35, 4, 41 (cuius versus tertius indicat Hildebertum scribere in honorem principis Italiae alicuius). sed titulus primi poematis non potuerat e coniectura ortus esse, nec illi 'Ad. P. avarum (14)', 'Ad S. nepotem (33)', nisi hos plane commentus est scriba parentis communis codd. **DB**. sed quantam fiduciam praebet scriba codicis **K**? magnam, ut apparet, qui paulo post tempora Hildeberti viveret atque scilicet eosdem circulos et poetarum et patronorum cognovisset (quod quidem haud difficile fuisset, quoniam litterae illius aetatis nobis nomina eadem poetarum atque patronorum identidem indicant), et cuius coniecturae, si re vera coniecturae sunt, felices aptaeque sint. quare utiles existimo titulos et codd. **DBT** et cod. **K** ad tempora constituenda quibus scripta sint poemata. sequuntur igitur poemata quibus tempus quo scripta sunt vel exacte vel intra terminos annorum paucorum assignare possumus.

1 Titulus apud **K** nos certiores facit Hildebertum hoc carmen misisse ad Guilelmum de s. Carilepho (s. Calais) episcopum Dunelmensem (per annos 1081–1096) et regis Guilelmi primi Angliae consiliarium inter primos. antequam episcopus factus est, praefuit primo monasterio s. Carilephiin agro Cenomannensi, deinde s. Vincentii in urbe ipsa Cenomannorum. vitam eius depictam invenies apud *Dictionary of National Biography* III. 990–993.

4 His versibus concludit poeta noster epistolam ad Mathildem uxorem regis Angliae Henrici primi directam

(Migne III. 11, Dieudonné 82. deest editioni Beaugendrianae), unde apparet eos scriptos inter annos 1100 et 1118 (cf. XXIX infra).

6 Hoc contulit fortasse Hildebertus in rotulum Odonis de Buris qui post Iohel creatus abbas monasterii Culturae Dei (La Couture) Cenomannensis circiter annum 1096 (Iohel mortuum queritur Baudri de Bourgueil in poemate suo 53, vv. 1, 2), adhuc vivebat anno 1112, quod testatur diploma quartum et vicensimum a Dieudonné citatum.

10,15 Dirigit utramque ad Adelam Blesensem comitissam, filiam Guilelmi primi Angliae regis. quem quidem nomine Augusto ornat poeta noster. regebat comitatum Blesensem marito in Palestinam anno 1096 profecto. post mortem eius secessit ad conventum de Marcigny anno 1122. versus ille 'nolo manus sceptris, vel cervix apta corone' me inducit ut poema 15 post annum 1096 ante 1122 scriptum ponam.

18 Mortuus est Berengarius anno 1088. Baldericus de Bourgueil misit ad Hildebertum adhuc archidiaconum (i. e. inter annos 1091 et 1096) poema quod sequentes versus continet (ed. Abrahams carm. 149, v. 17):

> De Berengario Turonensi pauca locutus,
> Es nobis visus, nisi fallor, magnus Homerus.

Scripsit idem Baldericus epitaphium Berengarii (ed. Abrahams carm. 89).

22 Patet hoc poema Hildebertum composuisse paulo post exilium, quod per posteriorem partem anni 1099 usque ad ver anni insequentis patiebatur (cf. Dieudonné, op. cit. pp. 56—58).

26 Hanc epistolam misit Hildebertus ad Murielem sanctimonialem in conventu de Wilton degentem, si quidem titulo codicis **K** credendum est. versus 23, 24

> 'forsitan ignoras, sed ego dum tutor honestum,
> dum sacri partes ordinis, exul agor'

nos certiores faciunt hoc scripsisse Hildebertum anno 1099–1100.

Murielem vero, quoniam res eam nobis obtulit, silentio praeterire mihi non propositum est, quamquam quae hic sequuntur videantur minime referre ad quaestionem supra susceptam. hanc vatem ex memoria hominum omnino lapsam denuo in lucem prompsit Phyllis Abrahams, ubi carmen Balderici de Bourgueil ad eam directum publici iuris fecit. Baldericus in carmine 199 editionis nobis indicat Murielem monialem fuisse formae praeclarae atque nobili genere natam (vv. 13, 14). rogat ut carmina sua castiget (v. 44 'quo potes erratus attenuare meos'), poemata eius castiganda mittat. praeter Baldericum poema ad Murielem dirigit Serlo Baiocensis (ed. Wright, *Sat. Poets* II. 233–240, cf. etiam Böhmer, *N. A.* 22, 720) quod nos certiores facit eam patriam reliquisse (p. 240 'cum patrii gentes neglexeris atque parentes'). Murielis inconsulte scilicet a Serlone petierat ut poemata mitteret. quae quidem incondita atque ieiuna absurde claudicant. denique, apud librum quem scripsit Hermannus Laudunensis 'De miraculis sanctae Mariae Laudunensis', legimus narrationem octo clericorum ecclesiae illius qui per Angliam anno 1113 peregrinabantur ut pecuniam congererent ad ecclesiam restituendam: 'Postea venimus ad quandam abbatiam sanctimonialium, quae vocatur Wiltonia, ubi nobis ostenderunt sepulturam venerabilis Bedae presbyteri . . . prope quam sepulta est inclyta versificatrix, quae proprio nomine vocata est Murier.' non dubium est quin nomen Murier ex Muriele corruptum sit. omnia quae hic legisti videbis fusius exposita a Wilmart, *Rev. Bén.* 49, 1937, 376–380. cf. etiam J. S. P. Tatlock, *P. M. L. A.* 48, 1933, 317–321, *Speculum* 8, 1933, 454–465; A. Boutemy, *Moyen Age* 45, 1935, 241–251.

28 Hoc contulit in rotulum s. Brunonis († 1101) Hildebertus.

29 Helias comes Cenomannensis obiit anno 1110 (Ordericus Vitalis XI. 40).

31 Fulcoius abbas Corbeae monasterii anno 1048 creatus aedificia renovavit, mores monachorum correxit. obiit anno 1095 (*Gallia Christiana* 10. 1273, 4). extant apud Delisle, *Rouleaux*, 138–144 poemata aliquot in rotulum eius contributa.

35, 37 Diriguntur ad Mathildem Malcolmi Canmore regis Scotiae filiam quae Henrico Angliae regi anno 1100 nupsit. obiit 1118. ex epistolis Hildeberti (I. 9; III. 12) possumus colligere eam plurima dona in ecclesiam Cenomannensem contulisse. liberalitatem apte depingit Willelmi Malmesbiriensis illud 'Inde, liberalitate ipsius per orbem sata, turmatim huc adventabant scholastici tum cantibus tum versibus famosi: felicemque se putabat qui carminis novitate aures mulceret dominae' (Gesta regum II. 494). poema 35 paulo post nuptias scripsisse videtur Hildebertus, qui finxerit Margaretam matrem († 1096) pro salute filiae Deum deprecantem. poema 37 inter annos 1114 et 1118 referendum existimo. nam versus 25, 26

'hec ea nascetur . . . qua Cesar plaudat coniuge, matre, socru' Mathildem designat matrem scilicet Willelmi Adeling († 1120) et socrum imperatoris Henrici quinti, qui filiam eius, Mathildem 'imperatricem' nuncupatam, anno 1114 duxit.

40 Compressit in versus duodeviginti poeta noster materiam quam per duos libros 'Cur Deus homo' dilatavit Anselmus. hunc anno 1098 scripsisse Anselmum demonstrat editor novissimus (*S. Anselmi liber Cur Deus homo*, recens. F. C. Schmitt, *Florilegium Patristicum 18*, 1928, proleg. vii). unde hoc Hildeberti poema post annum 1098 scriptum esse patet.

41 Codex **D** titulum 'Aducem R.' huic epistolae praebet. versus 'carmina per scopulos, per plenas mortibus Alpes, / misimus' nos docet epistolam missam ad principem Italiae quendam. tres sunt et principes et qui episcopum nostrum per Italiam peregrinantem anno 1101

benigne tractaverunt,[1] scilicet Rogerius de Altavilla, comes primus Siciliae, Rogerius comes secundus, successor eius (anno 1101), qui postea rex Siciliae factus est; denique Rogerius cognomine Borsa, Roberti Guiscardi filius, qui patri successit dux Apuliae anno 1085 atque obiit anno 1111. Hildebertum recepit Rogerius primus sed eodem anno mortuus est, quare nomen eius a medio removere possumus. ambitio quam laudat Hildebertus in versibus 14, 15 magis convenit ad Rogerium comitem secundum Siciliae quam ad Borsam virum scilicet ineptum atque vacillantem. Rogerius quidem comes, non dux erat, donec anno 1127 ducatum Apuliae susceperat, quo tempore Hildebertus senio confectus poemata vix scribebat. sed verba 'Cesar antefereris ei' maxime ad eum conveniunt, qui anno 1130 se regem Siciliae declaravit. futuri scilicet praesagus Hildebertus favorem Rogerii hoc poemate aucupatur.

43 Gauffridus creatus est abbas monasterii s. Trinitatis Vindocinensis anno 1093. Hildebertus non sine causa abbatem improbat, qui epistolas molestas ad eum continenter dirigeret. causa maxima discordiae erat fundus prope Savigny-sur-Braye in dioecese Hildeberti situs quem ex manibus monachorum extorserat comitissa Vindocinensis. Hildebertum abbas appellavit, sed ad eum citatus ut causam defenderet 'Postquam . . . episcopus factus estis', inquit, 'in episcopatu vestro plusquam ducentas libratas amisimus, nec deinceps quod viginti solidos valeat per iustitiam vestram consecuti sumus' (ep. III. 15, P. L. 157. 121). cum autem episcopus noster ab eo petiit ne turbam sociorum secum duceret, respondit ille 'Quis etenim potest in episcopatu vestro non timere vobis episcopante' (ep. III. 16, P. L. 157. 124). praeterea, monachum Vindocinensem Ioannem nomine caementarium

---

1) *Gesta pont. Cenoman.*, ed. Buson, Ledru p. 404, 'Dux enim Apullie et avunculus eius, comes Sicilie Rogerius, audita fama scientie presulis, illum cum maximo honore et incredibili reverentia susceperunt'.

peritum mutuatus Hildebertus[1] diutius retinebat 'ob utilitatem suae artis', de quo plures epistolas scripsit Gauffridus (cf. epp. III. 16, 24, 25, 29, 30), atque rem utramque ad papam detulit (ep. I. 3). in Gauffridum fortasse invehit Marbodus (Var. I. 18, P. L. 171. 1656), qui simili modo abbatem nescioquem insignia pontificis gerentem 'centauro simile monstrum' designat.

46 Cecilia oblata est monasterio Trinitatis Cadomis a patre Willelmo primo Angliae rege anno 1066[2]. mortua Mathilde abbatissa prima, creata est secunda Cecilia, anno 1113. plane nescimus utrum Cecilia iam abbatissa fuerit necne, cum scriberet hos versus Hildebertus. obiit anno 1127.

49 Vix dubium est quin hoc poema contulerit Hildebertus ad rotulum episcopi Petri Pictaviensis (1087–1115) cuius vitam apud Willelmi Malmesbiriensis Gesta regum (V. 439) descriptam videmus. Willelmus septimus dux Aquitaniae atque comes Pictaviensis uxore missa 'vicecomitis cuiusdam coniugem surripuit'. excommunicatus dux a Girardo Engolismorum episcopo, Petro nostro incipienti eum similiter excommunicare mortem minatus est, et paulo post in exilium relegavit, auctore pellice illa quam Hildebertus (vv. 17–19) alteram Iezabel et Herodiam denominat. mortuus est in exilio episcopus (cf. Hildeberti v. 27).

50 Baldericus de Bourgueil in poemate 149 citato in apparatu meo hoc Hildeberti poema se legisse demonstrat.

---

1) Videtur Ioannes confugisse ad Hildebertum. dicit enim Gauffridus (ep. 25, P. L. 157, col. 128) 'iterum admonemus ... ut qui a nobis recessit inobedienter, ad nos usque ad proximam dominicam veniat ...'.

2) Diploma fundationis conventus apud *Galliam Christianam* (ed. Parisiis 1874) tom. xi, instrumentorum pag. 59. 'Praeterea praefatus comes gloriosissimus et uxor eius cum filiis suis Domino eodem die obtulerunt filiam suam Ceciliam nomine ... quatenus in eodem loco deificae videlicet Trinitatis ipsi in habitu religionis perenniter serviret'. vitam breviter descripsit Ord. Vit. v. 2; erravit tamen qui eam anno 1075 oblatam affirmaverit.

ex titulo poematis Balderici 'Audeberto Cenomannensi archidiacono' licet colligere Hildebertum hoc poema de mulieribus, avaritia, ambitione scripsisse antequam episcopus factus sit, i. e. ante annum 1096.

53 Bertha filia Odonis secundi comitis Blesensis nupsit primo Alano tertio duci Britanniae minoris, deinde Hugoni secundo comiti Cenomannensium (cf. Ord. Vit. IV. 12). Conan secundus comes Britanniae minoris natus est ex illo, ex hoc Heribertus comes Cenomannensium, unde Hildeberti versus 'consulibus nupsit totidem paritura duobus'. obiit anno 1085 (cf. Latouche, *Histoire du Maine*, 33 n. 2).

54 Hunc episcopum Baiocensem Odonem esse haud inepte coniecit Beaugendre. nam Odo, quamquam vir avaritiae plenus atque miles atrox potius quam episcopus erat, poetas tamen fovebat. anno 1105, incensa urbe Baiocensi, opes Serlonis direptas restituit (cf. poema Serlonis ed. Wright *Sat. Poets* II. 241–251), atque adiuvabat eum lites suscipientem contra abbatem Gillebertum Cadomensem. Marbodi poema (Var. II. 32) ad Odonem missum esse opinatur W. Bulst, recte ut mihi videtur.[1] verba denique Orderici Vitalis 'Dociles quoque clericos Leodicum mittebat et alias urbes, ubi philosophorum studia potissimum florere noverat, eisque copiosos sumptus, ut indesinenter et diutius philosophiae fonti possent insistere, largiter administrabat' Odonem nobis quasi Maecenatem quendam ostendunt.

Iam, lector, ut facilius videas quam nobis contigerit tempora accurate constituere quibus nonnulla Hildeberti poematum scripta sint, tabulam subicio. sed pars maior poematum nullum indicium nobis praebet temporis quo composuit ea poeta noster.

1) *Nachrichten von der Akad. d. Wissensch. in Göttingen. Phil.-Hist. Kl., Fachgr.* IV, (N. F.) 2. Band, 1939, 182–184.

poema	composuit Hildebertus	poema	composuit Hildebertus
1	1081–1096	31	1095
4	1100–1118	37	1114–1118
6	1112+	40	1098+
10, 15	1096+	41	1101+
18	1088	43	1093+
22	1100	49	1115
26	1099–1100	50	1096–
28	1101	53	1085
29	1110		

V. DE RATIONE EDITIONIS HVIVS

Codices omnes ipse vidi praeter Hafniensem et Berolinensem quos photographice redditos inspexi, atque Turicensem, cuius lectiones sumpsi ex opere Jacobi Werner cit. infra p. XXXVII. exclusi ex apparatu meo et menda pleraque editionis principis et lectiones quas vidi in uno tantum codice, his exceptis quae textum illustrant poematum codicibus in paucis relatorum. perparce adhibui lectiones florilegiorum **MR**. contuli lectiones textus poematum 1, 4, 11, 12, 13 apud cod. **Ko**, parte maiore codicis neglecta (causam reperies in praef. p. XVI). quod attinet ad orthographica, canonem scriptorum classicorum plerumque secutus sum. diphthongum 'ae' littera simplici 'e' semper signavi, ut consonantia versuum leoninorum asservetur. litteram 't' ante vocalem retinui, i. e. 'sapientiam' 'collectionem' posui, non 'sapienciam' 'colleccionem'. nam eorum qui codices in parte posteriore saeculi duodecimi et parte priore saeculi insequentis describebant, alii 'ci' alii 'ti' posuerunt. titulos poematibus praefixi quos inveni in codicibus **DB**. quandocunque titulus his codicibus deest titulum ex cod. **K** intuli. cum hanc editionem instruere coepi, ordo poematum quem vidi apud codd. **DB** accurate servandus mihi videbatur (cf. praef. p. VII). nunc tamen me sero paenitet ordinem poematum 36, 37, 38 non mutavisse, ut allocutio poetae ad Romam iuxta responsionem urbis poneretur. nam hunc ordinem poematum trium suspicor emanasse ex incuria scribae

potius quam intentione poetae. sed 'sero sapiunt Phryges', atque hoc unum sperare possum, me veniam impetraturum a benignis lectoribus.

Restat ut gratias agam eis qui in hac editione paranda mihi opitulati sunt, et in primis curatoribus bibliothecarum qui mihi benigne permiserunt ut codices suos accederem, eorundem imagines mihi libenter praebuerunt. codicem Dublinensem, quem celabat brevitas catalogi veteris, mihi indicavit vir doctus B. Bischoff Monacensis. textum poematis 56 ex codice unico Orderici Vitalis descriptum mihi transmisit M. Chibnall Cantabrigensis. maximas gratias debeo viro docto R. A. B. Mynors litterarum Latinarum professori publico apud Oxonienses. illo instigante hoc opus suscepi susceptumque semper fovit. sed haec Hildeberti poematum editio in lucem numquam provenisset nisi consilio egregio per duo fere lustra me adiuvisset vir doctus R. W. Hunt, custos codicum occidentalium in bibliotheca Bodleiana, cuius discipulus esse mihi feliciter contigit.

CONSPECTVS LIBRORVM ET STVDIORVM

LIBRI SAEPIVS LAVDATI EORVMQVE ABBREVIATIONES

a) Editiones poemata pluria complectentes

Beaug.: Venerabilis Hildeberti, primo Cenomanensis episcopi, deinde Turonensis archiepiscopi, Opera ... Labore et studio D. Antonii Beaugendre, Parisiis 1708

P. L.: Ven. Hildeberti ... opera, de novo edita cum notis et quam plurimis additis genuinis operibus, cura et studio J. J. Bourassé, Parisiis 1854 (apud Migne, Patrologiam Latinam, tom. 171)

Hommey: J. Hommey, Supplementum patrum, Parisiis 1685. continet (fol. 421): Liber de querimonia et conflictu carnis et spiritus; (fol. 441): poemata minora sc. 40, 39, 55, 22, 36, 38, poema *inc.* 'Est ratio', 21, supp. 1, poema *inc.* 'Signant tres partes', 20 (fol. 547, sub nomine Marbodi), 50

Chamart: Philippi, abbatis Bonae-Spei ... opera omnia, ed. N. Chamart, Duacis 1621. hanc editionem asciscit P. L. 203

Hanc editionem nulla poemata genuina Philippi continere demonstrat A. Boutemy, Rev. Bén. 53, 1941, 112—118

Pressel: T. Pressel, 'Supplément à l'anthologie latine', Revue de Philologie 1, 1845, 403–414. continet 9, supp. 4, 8, 46, 48, 47, 22

Hau: B. Hauréau, Mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin, Parisiis 1882

Hoc in libello denuo edidit quae antea publici iuris fecerat in articulo apud *Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale*, t. XXVIII 2, 289—448

b) Libri alii qui ad hoc studium spectant

Actus: Actus pontificum Cenomannis in urbe degentium, ed. G. Busson et A. Ledru, Société des archives historiques du Maine 2, 1901, 397

A. H.: Analecta Hymnica Medii Aevi, ed. G. M. Dreves, C. Blume, H. M. Bannister, Leipzig 1886–1922

A. L. (Burmanni): Anthologia veterum Latinorum epigrammatum et poematum cura Petri Burmanni secundi, Amstelodani 1759

CONSPECTVS LIBRORVM ET STVDIORVM

A. L.: Anthologia Latina, recens. A. Riese, Lipsiae 1868
Anzeiger: Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit, Neue Folge, Leipzig 1854–1883

Baldericus de Bourgueil: Les Oeuvres Poétiques de Baudri de Bourgueil, ed. P. Abrahams, Paris 1926
Bern. Clun.: Bernardus Cluniacensis De contemptu mundi, re-edited with introduction... by H. C. Hoskier, London 1929
Bibl. éc. chartes: Bibliothèque de l'école des chartes, Paris 1839 –

Delisle, Rouleaux: L. Delisle, Rouleaux des morts du ixe au xve siècle, (Société de l'histoire de France), Paris 1866
Dieudonné: A. Dieudonné, Hildebert de Lavardin, sa vie, ses lettres, Paris 1898

Faral: E. Faral, Les arts poétiques du xiie et du xiiie siècle (Bibl. École des Hautes Études, fasc. 238), Paris 1924

Gir. Cambr.: Giraldi Cambrensis opera, ed. J. S. Brewer etc. (Rolls series), London 1861–1891

H. N. E.: B. Hauréau, Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la Bibliothèque Nationale, Paris 1890–1893

Lat.: Latomus, Revue d'études latines, Bruxelles 1937 –

Manitius: M. Manitius, Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters, Handbuch der Altertumswissenschaft, neunte Abt., zweiter Teil, dritter Band, München 1931 (tractat poemata Hildeberti pp. 853–865)
Marbodus, Dec. cap.: Marbodi liber decem capitulorum, ed. W. Bulst, Heidelberg 1947
Meyer: W. Meyer, Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rythmik, Berlin 1905–1936
M. A. R. S.: Mediaeval and Renaissance Studies 6, London 1968. Articulum meum invenies apud pp. 42 u. ad 83 sub titulo 'The poems of Hildebert of Le Mans: a new examination of the canon'.
M. G. H.: Monumenta Germaniae Historica
von Moos: P. von Moos, Hildebert von Lavardin, 1056–1133. Humanitas an der Schwelle des höfischen Zeitalters, (Pariser Historische Studien III), Stuttgart 1965

N. A.: Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, Hannover 1876–1935
N. E.: Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque Nationale, Paris 1787–1933

Ord. Vit.: Orderici Vitalis historia ecclesiastica, ed. A. le Prevost (Société de l'histoire de France), Paris 1838–1855

Pascal, Poesia: C. Pascal, Poesia latina medievale, Catania 1907
Pascal, Lett.: id., Letteratura latina medievale, ibid. 1909

Poet. Lat. Min.: Poetae Latini minores, Recens. et emend. A. Baehrens (Bibl. Teubneriana), Lipsiae 1879–1883

Raby, Christian: F. J. E. Raby, A history of Christian Latin poetry, 2nd ed., Oxford 1953

Raby, Secular: id., A history of secular Latin poetry in the middle ages, 2nd ed., Oxford 1957

Rev. Bén.: Revue Bénédictine, Maredsous 1884 –

R. M. A. L.: Revue du Moyen Age Latin, Lyon 1945 –

Scivoletto: N. Scivoletto, Spiritualità medioevale e tradizione scolastica nel secolo xii in Francia, Napoli 1954

Walther, Alphab. Verzeichnis: H. Walther, Alphabetisches Verzeichnis der Versanfänge mittellateinischer Dichtungen, Göttingen 1959

Werner, Beiträge: J. Werner, Beiträge zur Kunde der lateinischen Literatur des Mittelalters, Aarau 1905

Werner, Sprichwörter: Lateinische Sprichwörter und Sinnsprüche des Mittelalters, Heidelberg 1912

Will. Malm., Gesta pont.: Willelmi Malmesbiriensis monachi de gestis pontificum Anglorum, ed. N. E. Hamilton (Rolls Series), London 1870

Will. Malm., Gesta reg.: Willelmi Malmesbiriensis monachi de gestis regum Anglorum, ed. W. Stubbs (Rolls Series), London 1887

Wilmart: A. Wilmart, Le Florilège de Saint-Gatien, Revue Bénédictine 48, 1936, 3–40, 147–181, 235–258

Wright, Sat. Poets: The Anglo-Latin Satirical poets and Epigrammatists of the twelfth century, ed. T. Wright (Rolls Series), London 1872

CONSPECTVS SIGLORVM

D = Dublinensis B. 2. 17, saec. XII.

B = Parisinus 14194, saec. XII.

T = Turonensis 890, saec. XII. iam deperditus.

A = Parisinus 7596 A saec. XII.

C = Brit. Mus. Cleop. C. I, saec. XII.

Ko = Hafniensis Fab. 81, saec. XII.

K = Brit. Mus. Add. 24199, saec. XII.

Z = Baluzianus 120, saec. XVII.

H = Brit. Mus. Harl. 2621, saec. XIII.

N = Parisinus 3761, saec. XII / XIII.

E = Parisinus 14867, saec. XII.

F = Trecensis 887, saec. XII.

I = Berolinensis 180, saec. XII.

P = Monacensis 16073, saec. XII / XIII.

G = Vindobonensis 2521, saec. XII.

L = Oxon. Laud. 86, saec. XIII.

M = Oxon. Rawl. G 109, saec. XIII.

R = Turicensis C 58 / 275, saec. XII.

A^2Z^2 partes posteriores codd. horum manu secunda inscriptas significant.

α = consensus codicum editionem priorem exhibentium (cf. p. XXIV supra).

φ = consensus codicum editionem posteriorem exhibentium.

ed. = editio princeps ab A. Beaugendre confecta.

Hau. = lectiones textus quas adhibuit B. Hauréau, *Mélanges poétiques d'Hildebert.*

Hommey = J. Hommey, *Supplementum patrum.*

1
Ad G⟨uillelmum⟩ episcopum

Ad decus ecclesie cum te Natura crearet:
'Sis expers vitii; cetera' dixit 'habe.'
sic piger ad vetitum, celer ad concessa creatus,
preter virtutem nil sinis esse tibi.

2
Ad Petrum

Susceptum semen sex primis, Petre, diebus
est quasi lac, reliquisque novem fit sanguis. at inde
id solidat duodena dies: bis nona deinceps
effigiat, tempusque sequens augmentat in ortum.

3
Cur bono male vel malo bene

Est aliquando bono bene, ne gravibus superetur:
est male quo maculas lavet, adversisve probetur.
est aliquando malo bene, quo gravius feriatur:
est male quo redeat, vel ut hic quoque iam patiatur.

2 *Regimen sanitatis Salernitanum, ed. Saint-Marc, 179* || **3** *citat Gaufridus de s. Barbara, ep. 11 (P. L. 205. 838)*

3 *his versibus exprimit Hild. Gregorii Magni, Moralium librorum 5. cap. 1. 1–21.*

1 Beaug. col. 1332, P. L. col. 1407, Hau. p. 51. scripsit inter annos 1081 et 1096, cf. praef. XXVI. **DBKZHN** versus eiusdem ad Will. Dunelm. epm. **K** || 2 viciis **HN** || **2** Hau. p. 180, Carminum proverbialium totius humanae vitae statum breviter deliniantium . . . loci communes, Basiliae 1576, 165. **DBKZFPLRA**[2] cuius supra de conformatione humani seminis **K** || 3 insolidat **PLR** || 4 augmentat in] deducit ad Hau. || **3** Beaug. col. 1360, P. L. col. 1436, Hau. p. 120, **DBACFGL** || 1 bono *om.* ed. || 4 vel ut hic **G** Hau. velut hic **DBACL** ed. veluti quoque **F**

4

Ad reginam Anglorum

Inter opes et delicias populique favores
  hoc animus recolat, hoc tua lingua sonet:
mors dominum servo, mors sceptra ligonibus equat,
  dissimiles simili conditione trahens.

5

Unde malum

Qui petis unde malum, cum sint bona cuncta creata?
  defectu proprio sunt mala que mala sunt.
cum radix vitio careat, vitium tamen ex se
  et per se citius dulcia poma trahunt.

6

De abbate Odone

Cum iam purgatis et partim glorificatis,
  terra cinisque modo, glorificetur Odo.
sorti sanctorum precibus iungatur eorum,
  pacificetque Deum penituisse reum.

4 *Laurentius Dunelmensis, Consolatio (apud cod. Mus. Brit. Cotton. Vesp. D. XI, fol. 16)* finis ad illud idem cuncta premendo trahit. | purpura cilicio, sceptrumque ligonibus, aula | fit similis modice, fine premente, case. *citat etiam Hildeberti versus Vincentius Bellovacensis, De eruditione filiorum nobilium cap. 41, 115.*

4 *Hor. c. I. 4. 13, 14* || 5 *Werner, Sprichwörter no. 103* arbore de dulci dulcia poma cadunt

4 P. L. col. 1442, Hau. p. 157. scripsit inter annos 1100 et 1118, cf. praef. XXIX. **DBFM** || 2 hoc tua] hec tria **M** || 5 Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. p. 52. **DBAZFIGLR** || 1 quid **ZF** ed. || 3 radix] mater **ZFGLR** || 6 Hau. p. 203. scripsit fortasse in rotulum Odonis de Buris, cf. praef. XXVII. **DBA**

7

De M⟨ilone⟩ mercatore

Milo domi non est. peregre Milone profecto
arva vacant, uxor non minus inde parit.
cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet edam:
quo fodiatur ager non habet: uxor habet.

8

Ad Hugonem

Si qua mihi scribis, ne cuiquam scripta revelem,
per sacra, per superos, Hugo, rogare soles.
ne timeas: numquam per me secreta patebunt.
cum relegam, nequeo scire quid ipsa velint.

9

Ad Milonem

Thura piper vestes argentum pallia gemmas
vendere, Milo, soles, cum quibus emptor abit.
coniugis utilior merx est, que vendita sepe,
numquam vendentem deserit aut minuit.

7 Hau. p. 185. Hadriani Iunii Animadversorum, Basiliae 1556, lib. v. 17; M. V. Martialis epigrammata coll. N. Lemaire, Parisiis 1825, supposititia v (cf. etiam editionem D. F. G. Schneidewin, Grimae 1842). **DBZL** || 1 peregre] longe **DB** || 8 Beaug. col. 1369, P. L. col. 1446, Hau. p. 147, Pressel p. 408. cf. etiam P. Lehmann, 'Distinctiones monasticae', Münch. Sitzungsber., 1922, Abh. 2, p. 12. **DBZHNLR** || 2 per ... superos] submissis precibus *α* cum prece cum lacrimis **HR** || 9 Hau. p. 186, Pressel p. 408; Hadriani Iunii Animadversorum, Basiliae 1556, lib. v. 17; Martialis editiones H. Iunii, Antverp. 1568; D. Calderini, Parisiis 1601; P. Scriverii, Lugduni Batavorum 1619; T. Farnabii, Londini 1615; Ad usum Delphini, Amstelodani 1701; N. Lemaire, Parisiis 1825 (suppos. ix); D. F. G. Schneidewin, Grimae 1842 (ibid.). **DBZNML** || 2 solet **L** || 4 vendentem numquam **B**

10
Ad A⟨delam⟩ comitissam

Desipit et peccat qui te mortalibus equat.
est in laude parum, sed eris mihi prima dearum.

11
De morte

Mors oculis paribus tegetes scrutatur et aulas.
  nil latet hanc, eque dives inopsque patent.

12
De virgine Maria

Lacto Creatorem: salvum mihi crede pudorem.
  res nova: virgo parens, et caro patre carens.

13
Super crucem

Crux finis legis, via vite, passio regis,
  cui dat interitum gratia, non meritum.

14
Ad P. avarum

Si bene res detur, quamvis data semper habetur.
  nulla reservate, gloria magna date.

14 *citat Gaufridus de s. Barbara, ep. 25 (P. L. 205. 851)*

10 2 *Ovid. ex Ponto IV. 15. 4* || **11** *cf. Hildeberti ep. II. 12 (Dieudonné I. 38)* mortemque non pluribus stadiis ab aula quam a tugurio distare memineris

10—14 discussi apud M. A. R. S. pp. 63—65.
10 Hau. p. 204. scripsit post annum 1096, cf. praef. XXVII **DBM** ad ⟨M⟩athildem reginam **T** || **11** Hau. p. 205. **DB** || **12** Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. p. 51 **DBM** || 1 credo **D** || 2 patre] parem **D** || **13** Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. p. 51. C. Horstman, Richard Rolle and his followers, Londini 1895, I. 434 **DB** || **14** P. L. col. 1442, Hau. p. 158 **DBZ**

15

Ad A⟨delam⟩ comitissam

Augusti suboles, serie sublimis avorum,
  missa tibi placeant quantulacunque precor.
nolo manus sceptris, vel cervix apta corone
  ad mea flectantur munera: mente fave.
ut satis est populo superum meruisse favorem, 5
  cum cadit ad magnos hostia parva deos,
sic implet votum tua gratia. plus homine erro,
  si plus affectem quam placuisse tibi.

16

Ad nepotem

Formula vivendi presto est tibi: pauca loquaris,
plurima fac: sit utrisque comes modus, utile, pulcrum.
sobrius a mensis, a lecto surge pudicus.
obsequiis instes: ea pro te premia poscant.
ut decet et prodest, et amabis et oderis idem. 5
stans casum metuas, speres prostratus, et illum
quem colis in titulis, miserum abiectumque tuere.

16 1 *Dist. Catonis I. 3* virtutem primam esse puta conpescere linguam || 2 *Hor. epist. I. 2. 3* || 6 *Hor. c. II. 10. 13, 14* | *Dist. Catonis IV. 26* tranquillis rebus semper adversa timeto: rursus in adversis melius sperare memento || 7 *Hor. serm. I. 6. 17*

15 Beaug. col. 1365, P. L. col. 1442, Hau. p. 130. scripsit post annum 1096, cf. praef. XXVII. **DBKZM** versus ad comitissam **K** || 2 placeat **KZ** || **16** Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. p. 53, A. L. (Burmanni) I. 574; P. Pithoei opera sacra, Parisiis 1609, 789; V. Cousin, Ouvrages inédits d'Abélard, Parisiis 1836, 638; W. Wattenbach, N. A. 2, 1877, 403. **DBKZGA**[2] cuius supra **K** || 2 pulcrum] rectum *α* Hau. ed. *om.* **K** || 3 *post* 4 *ponunt* **KZ** || 4 premia] munera **G** | poscent Hau. || 4, 5 *post* 6, 7 *ponit* **G** || 6 metuas] timeas *α* **A**[2] ed. || 7 in titulis] insignem *α* ed.

17
Ad Odonem

Moribus, arte, fide, celesti pectore dignus,
  cum superes alios, desipis Odo tamen.
credis enim populum versus curare disertos,
  et placuisse putas moribus, arte, fide.
5 dotibus his quondam sacri placuere poete,
  ingeniumque dedit predia, nomen, opes.
nunc aliud tempus, alii pro tempore mores,
  nunc odium virtus, sceptra merentur opes.
nil artes, nil pura fides, nil gloria lingue,
10 nil fons ingenii, nil probitas sine re.
nullus inops sapiens, ubi res, ibi copia sensus.
  res sapiunt: pauper nil nisi pauper erit,
divitibusque reis non tollunt crimina nomen,
  sed quos lex damnat, equat habere deis.
15 hinc est quod populus aurum quasi numen adorans,
  audet in ignotum sepe venire nefas,
speque lucri totiens excedere ius et honestum
  sustulit, ut gratis iam iuvet esse reum.
ius ruit, ordo perit, sceleri placet ora manusque
20 vendere, quamque inopem tam pudet esse probum.

17 **7** *citat Gir. Cambr., De invect. VI. 27 (ed. Brewer I. 192), Gemma eccl. II. 38 (Brewer II. 360), Speculum eccl. III. 14 (Brewer IV. 223), ibid. IV. 39 (Brewer IV. 350)* || **19, 20** *Bern. Clun. III. 290* in lucra vendimus ora, cor, actus

17 *Hildebertus rationem poematis ab Ovidii arte amat. II. 273 u. ad 280 derivasse videtur.* || **1** *Ovid. her. XVII (XVIII) 67* || **3–5** *Ovid. amor. III. 8. 1–4* || **9, 10** *Ovid. ex Ponto I. 9. 39, 40* | *Hor. epist. I. 1. 57–59* | *Hor. serm. II. 5. 8* || **11** *Ovid. ars II. 276* || **18** *Ovid. ex Ponto II. 3. 14*

17 Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. pp. 55–58. Chamart p. 803; A. L. (Burmanni) I. 513; versus 15–20 ed. C. Barthius, Adversaria, Francofurti 1624, xx. 19, unde Poet. Lat. Min. V. 412, A. L. I. ii. 340. **DBCZHNGR** || **1** dignis **BH** Hau. || **3** versus] vates **NG** || **4** et placuisse] teque placere *α* Hau. ed. || **5** motibus **HZ** ed. || **7, 8** *om.* **CN** || **13** nec iam divitibus tollunt sua crimina nomen *α* Hau. ed. || **14** quos *φ* **D** quod *α* Hau. ed. | equat h. deis] gracia solvit opum *α* Hau. ed. || **16** sepe] sponte *α* Hau. ed. || **18** sustinet *α* **G** Hau. ed.

non igitur mirum si quisquam pravus et excors
  divinum carmen nullius esse putat.
quem comitantur opes sapientia vera reliquit,
  semper mobilibus incomitata bonis.

18
In Berengarii obitum

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
  ille Berengarius non obiturus obit.
quem sacre fidei fastigia summa tenentem,
  Iani quinta dies abstulit, ausa nefas.
illa dies damnosa dies et perfida mundo, 5
  qua decus et rerum forma ruina fuit;
qua status ecclesie, qua spes, qua gloria cleri,
  qua cultor iuris, iure ruente, ruit.
quicquid philosophi, quicquid cecinere poete
  ingenio cessit eloquioque suo. 10
sanctior et maior sapientia, maius adorta,
  implevit sacrum pectus et ora Deo.

18 *citat totum Will. Malm., Gesta reg. III. 284, unde poema traxerunt annalium scriptores Helinandus (lib. 47, P. L. 212. 1001) et Albericus Trium Fontium (sub anno 1115, ed. M. G. H. script. 23. 820)* || **1, 2** *citat Clarius in chron. s. Petri vivi Senonensis, ed. apud Spicilegium L. D'Acherii II. 476* || **4** *Petrus Pictor, Causa inter pauperem et divitem (ed. Boutemy, Lat. 8, 1949, 292) v. 140* florilegum vulgus mors rapit, ausa nefas

17 24 *Ovid. ex Ponto II. 3. 36* || **18 6** *Ovid. ex Ponto I. 10. 17. Lectio α derivatur a versu illo Horatii:* grande decus columenque rerum *c. II. 17. 4. cf. etiam Ausonii epist. 29. 56 (ed. Peiper)* ergo meum patriaeque decus columenque senati

17 22 divinos vates **αZ** Hau. ed. || **23** relinquit **B** Hau. ed. || **18** Beaug. col. 1323, P. L. col. 1396, Hau. p. 24. Bibliotheca maxima patrum, Lugduni 1677, xxi. 168; Appendix ad fasc. rerum expetendarum opera E. Brown, Londini 1690, 7. obiit Berengarius anno 1088, cf. praef. XXVII **DBCKZG** Will. = *Will. Malm., Gesta reg. III. 284. Codices Willelmi operis, quorum lectiones dignae videntur ut adhibeantur sunt Ce*[1] *Londinensis Mus. Brit. cod. Regius 13. D. II; T Trecensis cod. 294*[2] || **2** moriturus **KZ** || **3** quem] hunc **BC** || **6** qua rerum columen qua decus occubuit **BC** Hau. | forma] summa **ZG** ed. || **8** cultor] custos **CZG** ed.

pectus cum voluit, vox protulit, actio prompsit:
singula factori sic studuere suo.
15 vir sacer et sapiens, cui nomen crescit in horas,
quo minor est quisquis maximus est hominum;
cui sensus peperit, partos servavit honores,
cui potior pauper divite, iusque lucro,
cui nec desidiam nec luxum res dedit ampla,
20 nec tumidum fecit multus et altus honor.
qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit,
sed doluit quotiens cui daret hec aberat.
qui non cessavit inopum fulcire ruinas,
donec inops dando factus et ipse fuit.
25 cuius cura sequi naturam, legibus uti,
et mentem vitiis, ora negare dolis;
virtutes opibus, verum preponere falso,
nil vacuum sensu dicere, nil facere,
ledere nec minimum, cunctis prodesse, favores
30 et populare lucrum pellere mente, manu.
cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
ante sitim potus, nec cibus ante famem.
quem Pudor hospitium statuit sibi, quamque libido
incestos superat, tam superavit eam.
35 quem Natura parens cum mundo contulit inquit
'degenerant alii, nascitur iste mihi.'
queque vagabatur, et pene reliquerat orbem,
inclusit sacro pectore Iustitiam.
vir sacer a puero, qui quantum preminet orbi
40 fama, tam fame prefuit ipse sue.
fama minor meritis, cum totum pervolet orbem,
cum semper crescat, non erit equa tamen.
vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus,
ut livor neutro rodere posset eum.

18 **15** *Hor. epist. I. 7. 22* || **23** *Ovid. trist. V. 13. 8* || **25** *Lucani Pharsalia II. 382* || **30** *Ovid. her. VI. 52*

18 **13** cum] eum **KZ** eam Will. (*sed* eum **Ce**[1]) enim **G** || **28** nil[2]] vel **DCK** Will. || **29** minimum] quenquam Will. || **31** tectura **K** ed. || **36** ille **DB** || **44** possit **G** Will.

livor eum deflet quem carpserat antea, nec tam 45
carpsit et odit eum, quam modo laudat, amat.
quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
et queritur celeres huius abisse dies.
vir vere sapiens, et parte beatus ab omni,
qui celos anima, corpore donat humum. 50
post obitum secum vivam, secum requiescam,
nec fiat melior sors mea sorte sua.

19
De Lucretia

Cum foderet gladio castum Lucretia pectus,
sanguinis et torrens egereretur, ait
'testes procedant me non favisse tiranno;
ante virum sanguis, spiritus ante deos.

19 *citat praeter Godf. et Ottonem (cf. app. crit.) Conradus de Mure apud Repertorium vocabulorum exquisitorum (ed. Basiliae anno 1470) sub titulo 'Lucretia'*

18 **49** *Hor. c. II. 16. 27, 28* || **51** *Ovid. amor. I. 3. 17, 18* || **52** *ibid. I. 6. 46* || **19** *Ratio poematis a Mart. epigr. I. 13, res a Livii hist. Rom. I. 58 derivatur.* || **1** *Ovid. her. III. 146*

18 **45** eum] enim Will. (*sed* eum **T**) || **45—48** *omm. codd. omnes praeter* **G** *Will.* || **50** donat] ditat **CG** Will. ed. || **19** P. L. col. 1447, Hau. p. 158. Aeneas Silvius, De pravis mulieribus, s. l. v. d., fol. 14v (iterum librum impressit L. Bertalot, Die älteste gedruckte latein. Epitaphiensammlung, Collectanea Leo S. Olschki, Monacis 1921, 13); G. Fabricii, ... Roma. Antiquitatum libri duo, ed. 2a, Basiliae 1551, 92, ed. 3a, ibid. 1587, 153; A. L. (Burmanni) I. 349; A. L. I. ii 267; Poet. Lat. Min. IV. 443; Corpus Inscriptionum Latinarum VI. 5 p. 3* no. 2 h. discussi apud M. A. R. S. p. 62. cf. etiam C. Pascal, 'Note sopra alcuni epigrammi dell' Anthologia Latina', Studi Italiani di filologia classica 15, 1907, 108–110, Poesia p. 17; W. A. Oldfather, 'Anthologia Latina 787, Ovid, Hildebert of Le Mans, and Madeleine de l'Aubespine', Medievalia et Humanistica 4, 1946, 71–82. **DBIV** = Valentinianus cod. 145 s. xii. *quattuor primos versus referunt Otto Frisingensis, Chron. II. 9, ed. apud M. G. H. scriptores 20. 148; Gotfridus Viterbiensis, Speculum regum I. 670, ed. apud M. G. H. scriptores 22. 60.* || **1** dum Hau. Godf. | gladio] ferro Otto || **2** egrederetur **BIV** Godf. Otto Hau. || **3** procedant testes Godf. Otto || **4** ante v. sanguis] sanguis apud manes **V** Otto

5 quam bene producti pro me post fata loquentur,
alter apud manes, alter apud superos.'

20
De triplici domo humani generis

Trina domus nobis, lar, tumba, polusque paratur.
ligna larem, ligo sarcofagum, devotio celum
preparat. occasus comes in lare, vermis in urna,
angelus in celo. lar pene, tumba sopori,
5 celum letitie diversa sorte dicantur.
culpa priora duo dat, gratia sola supremum.

21
De tribus missis in natale Domini

In natale sacro, sacre sollemnia misse
quid signent, aut cur ter celebrentur habes.
nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema,
sub Noe, sub templo, sub cruce sacra notant.
5 sub Noe, sub David, sub Christo sacra fuere
nox, aurora, dies, umbra, figura, Deus.

20 *ipsam rem prolixius tractat Petrus Riga in florilegio poematum suorum quod plerique Floridum Aspectum nominant (P. L. 171. 1388)*

19 **5,6** *omm.* **V** Godf. Otto Hau. *fortasse non sunt Hildeberti* || **20** Beaug. col. 1353, P. L. col. 1427, Hau. p. 102. Hommey p. 461; Chamart p. 803; P. Leyser, Historia poetarum et poematum medii aevi, Halae 1721, 390. **DBACKZEFGL** *titulus deest codd.* **DB**: *praebet* **K** || **3** urna est **KZ** ed. || **5** dicuntur ed. || **21** Beaug. col. 1155, 1350, P. L. col. 1198, Hau. p. 95. Hommey p. 460; P. Meyer, Archives des Missions Scientifiques, 2e sér. 5, 1868, 173; P. Jaffé, Bibliotheca Rerum Germanicarum, Berolini 1869, V. 460; M. Hammond, Speculum 7, 1932, 534. **DBACKZEFIPGLR** || **2** signant **EIL** | habe **CKEI** ed. || **3** *post* **5** *ponit* ed., *om.* **L** || **4** templo] david **CEIP** ed. | cruce] christo **L** || **5** *om.* **L**

22

De casu huius mundi

Nuper eram locuples, multisque beatus amicis,
  et risere diu fata secunda mihi.
larga Ceres, deus Archadie, Bachusque replebant
  horrea, tecta, penum, farre, bidente, mero.
hortus, apes, famule, pulmento, melle, tapetis, 5
  ditabant large prandia, vasa, domum.
dextra laborabat gemmis, pomaria fructu,
  prata redundabant gramine, lacte greges.
agger opum, tranquilla quies, numerosus amicus,
  delicias, somnos, consiliumque dabant. 10
cetera quid referam mestos solantia vultus?
  omnia captate prosperitatis erant.
iurares superos intra mea vota teneri,
  et res occasum dedidicisse pati.

22 3–8 *Henricus de Huntingdon, De statu suo (ed. Wright, Sat. Poets II. 169) vv. 7–9* horrea frumento, baco cellaria certant | tecta bidente, grege pascua, lacte greges. | hortus saltus apes in cenas prandia potus || 9 *id. ibid. v. 11* promunt obsequium famuli, tutamen amici || 14 *id. ibid. v. 4* innatam fraudi fraude carere dedi

22 1,2 *Ovid. ex Ponto II. 3. 25, 26* || 2 *id. trist. I. 5. 27* || 11 *Ovid. amor. I. 5. 23* || 16 *Ovid. ex Ponto IV. 3. 31*

22 Beaug. col. 1344, P. L. col. 1418, Hau. pp. 80–86, Hommey p. 453; Pressel p. 410; Ê. du Boulay, Historia universitatis Parisiensis, Parisiis 1665, II. 97; T. Wright, A selection of Latin stories, Londini 1842, 192. scripsit anno 1100, cf. praef. XXVII. **DBACK ZNEIGMLRZ²** || 2 fata secunda] prospera fata *α* Hau. || 4 tecta] septa **Z²** Hau. || 7. 8 *post* 9. 10 *ponunt* *α***M** || 11 singula quid memorem letos testantia casus *α* Hau. cetera quid referam letos testantia casus **L** || 12 captivae Hau. || 14 dedicisse **LCKZ** iam dedicisse **E** dedicisse *corr. in* dededicisse **IG** didicisse **BL** dedidisse **M**

15 mirabar sic te, te sic, Fortuna, fidelem,
mirabar stabilem, que levis esse soles.
sepe mihi dixi 'quorsum tam prospera rerum?
quid sibi vult tantus, tam citus agger opum?'
ei mihi. nulla fides, nulla est constantia rebus.
20 res ipse quid sint mobilitate docent.
res hominum atque homines levis alea versat in horas,
et venit a summo summa ruina gradu.
cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
et spondent propria mobilitate fugam.
25 quicquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,
aut modo, dum loqueris, desinit esse tuum.
has ludit Fortuna vices, regesque superbos
aut servos humiles non sinit esse diu.
illa dolosa comes, sola levitate fidelis,
30 non impune favet, aut sine fine premit.
illa mihi quondam risu blandita sereno,
mutavit vultus nubila facta suos,
et velut eternam misero conata ruinam,
spem quoque letitie detrahit illa mihi.
35 illa professa dolum submersit, diruit, ussit,
culta, domos, vites, imbribus, igne, gelu.
insuper exhausit, excussit, debilitavit,
hoste, notho, morbis, horrea, poma, gregem.
accessit damnis novus ille gravisque tirannus,
40 quo Cenomannorum consule ius periit.

22 **21** *Bern. Clun. I. 970* carnea terrea temporis alea versat in horas || **30** *Simon Aurea Capra in poemate quod* 'Sol iubar' *incipit (ed. a Boutemy, R. M. A. L. 3. 145) v. 20* preripis, absorbes et sine fine premis

22 **20—22** *Hildebertum traxisse e loco Senecae rhetoris de fortuna (Suas. I. 9) existimat Scivoletto, p. 46, sed verba auctorum inter se vix congruere mihi videntur.* || **27** *Iuv. sat. VII. 197, 8* || **29** *Ovid. trist. V. 8. 18* || **32** *ibid. I. 9. 5, 6* || **34** *Ovid. her. VII. 106*

22 **15** sic te sic te **KZL** denique mirabar sic te fort. ***α*** Hau. || **21** horas] auras Hau. || **24** propriam **KM** || **26** desinet **DCNEGL** || **30** nec favet eternum nec sine fine premit ***α*** Hau. || **34** illa] ipsa ***α*** **L** Hau. || **35** illa] ipsa ***α*** || **37** insuper exhausit] hec eadem fregit ***α*** Hau. | concussit **A** Hau.

cuius avos puduit scelerum genuisse patronum,
Fortuneque parem mobilitate, dolis.
ille pudor patrie me, non impune tuentem
iustitie leges, expulit a patria.
inde ratem scando, vitam committo procellis: 45
vela tument, gemina cimba iuvatur ope.
portus erat longe, cum ventus fortior estum
movit, et in tumulos auster aravit aquas.
crescit hiems, agit aura ratem, furit unda dehiscens,
imbre madet velum, nox tegit atra diem. 50
desperare iubent venti, mare, turbine, fluctu,
occursu rupes, ignibus ipse polus.
in fragilem pinum totus prope congerit iras
orbis, et est hostis quicquid obesse potest.
dum sic sevit hiems, dum pallet et ipse magister, 55
dum stupet et fieri piscibus esca timet,
ecce rapax turbo, tollens ad sidera fluctus,
impulit ad litus iam sine puppe ratem.
sic misere felix, quassa rate, rebus ademptis,
evasi ventos, equora, saxa, Iovem. 60
ecce quid est hominis, quid iure vocare paternum,
qua miser ille sibi plaudere dote potest?
hoc est hoc hominis, semper cum tempore labi,
et semper quadam condicione mori.
est hominis nudum nasci, nudumque reverti 65
ad matrem, nec opes tollere posse suas.

22 46 *id. in poemate quod* 'Sol nebula' *incipit (R.M.A.L. 3.146) v. 42* vela fluunt, puppis solvitur, unda subit || 61 *Henricus de Huntingdon, De contemptu visibilium (ed. Wright Sat. Poets II. 171) v. 10* quid sint res hominum discute, vel quid homo

22 42 *Ovid. ex Ponto IV. 3. 34* || 56 *Ovid. trist. I. 4. 11 et I. 2. 56* || 57 *ibid. I. 2. 19, 20* || 65 *Vulg. Iob I. 21* nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc | *Boethius phil. cons. lib. I prosa 2. 8* cum te matris utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi

22 46 gemina] duplici **NEG** || 48 movit et] impulit **NE** || 53 congerit] digerit **EG** degerit **N** congregat *α* || 59 misere] miser et **ZILZ**[2] ed. miser infelix **K** || 62 ille] ipse **EZ**[2] Hau. || 63 est hominis semper fluere et c. temp. labi *α* || 64 mori] trahi vel mori **KZ**

est hominis putrere solo, saniemque fateri,
  et miseris gradibus in cinerem redigi.
istius est heres homo prosperitatis, et illum
70 certius his dominum premia nulla manent.
res et opes prestantur ei, famulantur ad horam,
  et locuples mane, vespere pauper erit.
nemo potest rebus ius assignare manendi,
  que nutus hominum non didicere sequi.
75 ius illis Deus ascripsit, statuitque teneri
  legibus, et nutu stare vel ire suo.
ille simul, semel et solus previdit et egit
  cuncta, nec illa aliter vidit, agitque aliter.
ut vidit facienda facit, regit absque labore,
80 distinguit formis, tempore, fine, loco.
crescendi studium rebus metitur, et illas
  secretis versat legibus, ipse manens.
ipse manens, dum cuncta movet, mortalibus egris
  consulit, et qua sit spes statuenda docet.
85 si fas est credi te quicquam posse vel esse,
  o Fortuna, quod es, quod potes ipse dedit.
pace tua, Fortuna, loquar: blandire, minare,
  nil tamen unde querar, aut bene leter ages.

22 **83** *id., De statu suo (ed. cit. 170) v. 33* en solus tantusque manens quantus voluisti | omnia velle tuum sunt, et eras, es, eris | *Marbodus, Dec. cap. II. 132* ipse manens semper, cum pretereuntia finxit

22 **71** *Boethius phil. cons. lib. II prosa 2 l. 16* opes honores ceteraque talium mei sunt iuris || **79** *ibid. lib. IV prosa 6 l. 45* ita deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit, fato vero haec ipsa quae disposuit multipliciter ac temporaliter amministrat || **80** *ibid. l. 35* fatum vero singula digerit in motum locis formis ac temporibus distributa || **82, 83** *ibid. lib. IV prosa 12 l. 22*: nisi unus esset qui has mutationum varietates manens ipse disponeret | *Verg. Aen. II. 268*

22 **67** putrire **AM** putere **IG** || **70** predia **DL** ed. || **71** opes] honor ***α*** || **73—79** *om.* **I** || **74** didiscere **A** dedicere Hau. | sequi] pati **NEM** || **75** ascribit **KZE** ed. || **78** illa] ille Hau. || **81** distinctis idem cursum metitur ***α*** Hau. || **84** et qua sit] atque ubi sit ***α*** Hau. | qua] quo **NEGL** quia **K** *corr. in* qua **K**[1] || **86** quid . . . quod **I** Hau. ed. quod . . . que **K**

ille potens, mitis tenor et concordia rerum
quicquid vult in me digerat, eius ero. 90

23
De ermafrodito

Dum mea me mater gravida gestaret in alvo,
quid pareret fertur consuluisse deos.
Phebus ait 'puer est'; Mars 'femina'; Iuno 'neutrum'.
iam quod sum natus hermafroditus eram.
querenti letum dea sic ait 'occidet armis'; 5
Mars 'cruce'; Phebus 'aqua'. sors rata queque fuit.

23 3 *Willelmus Blesensis, Alda 553* nescio quis mulier vel que vir quodve neutrum. *Poetae medii aevi nonnumquam eu in duas syllabas dividunt, cf. Traube, O Roma nobilis, 21; Karolingische Dichtungen, 112; Birt, Rhein. Museum N. F. 34, 1–37 'Über die Vocalverbindung eu im Lateinischen', qui hunc versum Hildeberti esse ignoravit.*

23 1 *Ovid. her. VI. 61 id. amor. II. 14. 17* | *Hincmar Remensis in poemate cui titulus 'responsio' (ed. apud P. L. 126. 287)* viscera qui matris, dum te gestaret in alvo || **2** *Ovid. fasti II. 238* consuluisse deos | *id. her. II. 88* consuluisse meis | *ibid. XII. 210* consuluisse viro | *ibid. XIX. 220* consuluisse deam

22 89 rerum] fervens **Z** fratrum **K** || **90** digerat] proferat *α* || **23** Beaug. col. 1369, P. L. col. 1446, Hau. pp. 141–147. Nestor Dionysius, Vocabularium, Venetiis 1488 (Hain 6253), fol. 7v; J. Scaliger, Veterum poetarum catalecta, Lugduni Batavorum 1595, 231 (I. 17); J. Bonifacius, De epitaphiis componendis, Rovigo 1629, 159; P. Labbeus, Thesaurus epitaphiorum, Parisiis 1666, 396; A. L. (Burmanni) III. 620; A.L. I. ii. 786; Poet. Lat. Min. IV. 127; F. C. Forberg, Antonii Panormitae Hermaphroditus, Coburgi 1824, app. I. poema plerique attribuunt Pulici sive Duplici Vicentino. citant sub nomine Pulicis Laurentius Valla, In Barptolomeum Facium II. 4 (apud Opera, Basiliae 1540, 548); Lilius Gyraldus Ferrariensis, Historiae Poetarum X (apud Opera, Basiliae 1580, II. 365); M. Freher, *Παρέργων*, Norimbergae 1622, II. 26, 169; C. de la Monnoye, Menagiana IV (apud Oeuvres Choisies, Hagae 1770, III. 410. cf. etiam E. H. Alton, 'Who wrote the Hermaphroditus?', Hermathena 47, 1931, 136. **DBAKZNH GML** versus cuius supra de hermafrodito **K** || **2** consuluit superos quid paritura foret **L** || **3** Junoque Hau. ed. || **4** quod] quo **HNM** qui *α*

arbor obumbrat aquas: ascendo: labitur ensis,
quem tuleram casu, labor et ipse super.
pes hesit ramis, caput incidit amne, tulique
10 vir, mulier, neutrum, flumina, tela, crucem.

24
De quodam servo

Servus ait domino 'gratis famulabor in annum,
si facis ut famula qualibet arte fruar'.
poscit herus coitum, sibi ponit servula noctem,
ille thoro famulum collocat, hec dominam.
5 res patuit casu, vir nuptam provocat in ius.
facta refert; risum facta relata movent.
uxor et ancilla laudantur, virque monetur
ne messem famuli sic emat ulterius.

25
⟨*De lapsu mundi*⟩

Non bene discernis, qui prefers ima supernis,
nec satis es tecum, qui rebus subicis equum.
quippe quid argentum? quid forma? quid ordo clientum?
quid celebres fundi? festum breve gloria mundi.
5 nulla fides eius, hodie male, cras ibi peius.
expedit hoc uti, sed non preferre saluti.

24 4 *Poema similia tractans, quod edidit Hauréau, H. N. E. 1. 385 versum habet* inque thoro famulam collocat illa suam || **25 5** *Bern. Clun. I. 983, 4, ubi gloriam humanam tractat* irritus est ratus, instabilis status est status eius | it redit, ut mare, denique nunc male, cras ibi peius

23 10 femina vir neutrum **NM** | **HN** *add:* nescio quem sexum mihi lux extrema relinquet | felix si sciero cur utriusque fui (sors extrema reliquit **N**) || **24** Hau. p. 178. **DBKZGL** || **3** ponit sibi **L** Hau. poscit sibi **KZ** | spondet sibi **G** || **5** casu patuit *α* Hau. tandem patuit **L** || **7** laudatur **KZ** || **25** Beaug. col. 1334, 1361, P. L. col. 1408, Hau. p. 58. **DBAZM**

26
Ad M⟨urielem⟩ litteratam

Tempora prisca decem se iactavere sibillis,
  et vestri sexus gloria multa fuit.
unius ingenio presentia secula gaudent,
  et non ex toto virgine vate carent.
nunc quoque sunt homini quedam commercia divum, 5
  quos puto, nec fallor, virginis ore loqui.
mente tua posuere dei penetrale verendum,
  osque sacrum vatem constituere suum.
ore tuo quecumque fluunt vigilata priorum
  transcendunt, solis inferiora deis. 10
quicquid enim spiras est immortale, tuumque
  tanquam divinum mundus adorat opus.
deprimis ingenio vates celebresque poetas,
  et stupet eloquio sexus uterque tuo.
carmina missa mihi decies spectata revolvens 15
  miror, et ex aditis illa venire reor.
non est humanum tam sacros posse labores,
  nec te, sed per te numina credo loqui.
pondera verborum, sensus gravis, ordo venustus
  vultum divine condicionis habent. 20
cum miror quanta se maiestate tuentur,
  parcius exilii triste recordor onus.
forsitan ignoras, sed ego dum tutor honestum,
  dum sacri partes ordinis, exul agor.

26 1 *Decem Sibyllarum mentionem facit Varro apud Lactantii Divinas institutiones I. 6. 7, unde numerum decem traxit illa* 'sibylla Tiburtina', *cf. E. Sackur, Sibyllinische Texte und Forschungen, Halle 1898, 129.* || 5 *Ovid. ars III. 549* || 22 *Ovid. ex Ponto I. 9. 15, 16*

26 Beaug. col. 1368, P. L. col. 1445, Hau. pp. 135, 6. A. Wilmart, Rev. Bén. 49, 1937, 379. scripsit inter annos 1099 et 1100, cf. praef. p. XXVII. ibidem pauca de Murielis vita collegi. **DBCKZHNG** Wilm. = *editio Wilmarti. codicibus usus est* **KHN** (= **D**) **B** versus ad quandam virginem scilicet muriel **K** laus cuiusdam virginis sanctimonialis **G** || **2** multa] magna Hau. ed. || **4** et] quod Hau. || **8** sacrum] tuum *α* Hau. || **13–16** *om. α* || **17.18** *post* **19.20** *ponit α* || **19** venustas **BCZ** ed. || **20** vultum] multum **N** Hau. | cognitionis **KZ** ed. Wilm.

25 exilii curas et pondera dura laborum
alleviare tuo carmine, virgo, potes.
allevies oro, nec quem Fortuna reliquit
linquere, Fortune tu comes ipsa, velis.
ne mihi verba neges; levius nil poscere possum.
30 nil a te spero, si mihi verba neges.
exulis obsequium nisi cuius forte recuses,
exul in obsequium nitar ubique tuum.

27

Epitaphium B⟨one⟩ virginis

Bona mihi nomen, pudor optio, tempora vite
lustra duo, studium pagina sacra fuit.
hec mihi descripsit que sint incommoda nupte,
quis vidue fructus, quid sibi virgo metat.
5 hinc breve coniugium thalamosque perosa doloris,
virtutem subolem matre pudore tuli.
quam bene virgo parit, nequeat licet edere Christum,
que propter Christum negligit esse parens.

28

De Brunone

Ad superos superum cultor sociusque recessit,
commendans terre Bruno quod eius erat.

28 1 *Hunc versum furati sunt versificator nescioquis qui poema de vita Aldhelmi descripsit (poema citat Will. Malm., Gesta pont. V. 227) et auctor Turonensis poematis in rotulo Bertrandi de Baux (Delisle, Rouleaux 385 no. 81), qui quintum quoque et sextum versum Hildeberti poematis ad opusculum suum transtulit.*

26 30 *Ovid. trist. V. 13. 12* || **27 5** *Iuvencus, evangeliorum libri III. 481* ut melius fuerit thalamis caruisse perosis

26 26 potes . . . tuo **KZ** Hau. ed. || **27** relinquit ***α*** Hau. || **29** querere ***α*** | ne] nec **HNG** || **31. 32** *om.* ***α*** || **32** nitor **KH** ed. || **27** Hau. p. 206. discussi apud M. A. R. S. pp. 64, 65 **DBU** = *cod. Oxon., bibl. Bodl. Barlow 10, s. xvii,* **He** = *Herefordiae bibl. cath. cod. P. 1. XV, s. xii* || **2** explicit **B** || **3** nupte] vite **U** || **6** pudore **U** pudoris **D** pudori **He** || **28** Beaug. col. 1326, P. L. col. 1398, Hau. pp. 33, 34. tituli funebres de s. Brunone conf., apud Acta Sanctorum Octobris III. 761. obiit s. Bruno anno 1101. discussi apud M. A. R. S. p. 62. cf. etiam Pascal, Poesia, p. 15. **DZ**

sarcinulasque leves, et agentem Protea mundum
despicit, eternas pauper adeptus opes.
suspicor angelicas hinc exultare cohortes, 5
et celi cives plaudere cive novo.
sexta dies Octobris erat cum Bruno, professus
naturam, superos exoneratus adit.

29

De H⟨elia⟩ comite

Iura tuens, et pacis amans, et maximus armis,
Helias censor scelerum, patronus honesti,
gloria nature, speculum quo vera refulsit
iustitia, et quicquid in principe mundus adorat,
occidit, et pariter pax et decus urbis et orbis 5
excidit, Helia patrieque et rebus adempto.

30

Super quandam matronam

Quam tegit hic tumulus felix cum coniuge vixit:
coniugis exequie cetera vita fuit.
rebus, avis, specie, locuples, excelsa, celebris,
abstinuit luxu, fastibus, opprobriis.
pauperibus sacravit opes, thalamosque pudori, 5
et docuit sexum non meminisse sui.
illam sex lustris stupuit Natura pudicam,
et dubitavit utrum femina necne foret.
illa quoad vixit sanctas induta Sabinas,
plena Deo nona luce Novembris obit. 10

28 **3** sarciculas ed. | *post* **4** *habet* **Z**: depositum in terra cineri miscetur, idemque | sperat et expectat premia sorte pari || **8** ad superos ed. | abit ed. || **29** Beaug. col. 1326, P. L. col. 1399, Hau. pp. 34–36. Helias comes Cenomannensium obiit anno 1110. discussi apud M. A. R. S. p. 63 **D** || **3** *om.* ed. || **6** patrieque] patriae heu ed. || **30** Hau. p. 191. **DZNG** || **1** titulus **Z** || **4** abstituit **D** || **6** sexus **N** Hau. || **9.10** *om.* **DZ**

31
De abbate

Si tibi, Fulcho, mori mitis Natura negaret,
fulta tuis humeris numquam Corbea labaret.
que, quia non potuit tantum concedere munus,
distulit ut potuit multo tibi tempore funus.
5 solvit decrepitum, parcens evo iuvenili,
ut satis atque diu prodesses pastor ovili.

32
⟨*De transformatione Ianthes*⟩

Cum peteret puerum Saturnius, Yfis Yantem,
cetus ait superum 'scelus hoc'; illud voco culpam.
quo prohibente nefas, ludum ridente virorum,
altera fit iuvenis, fit femina neuter eorum.
5 si scelus esset idem, sententia celicolarum
alterutrum transformaret, neutramve duarum.

33
Ad S. nepotem

Res male tuta puer, ne te committe quibusdam.
multa domus multos fertur habere Ioves.
nolo tamen speres Ganimedis crimine celum:
hac modo militia nullus ad astra venit.

33 2 *Baldericus de Bourgueil carm. 139. 95, 96* per multas edes discurrit adhuc Ganimedes. | multus homo lascivus adhuc vult Iuppiter esse

32 *Fabulam narrat Ovid. met. IX. 676–797*

31 Hau. p. 199. obiit Fulcoius anno 1095, cf. praef. XXIX. discussi apud M. A. R. S. p. 64 **DZH** de A. abbate **D** || **6** prodessens **Z** prodesset Hau. || **32** Hau. p. 177. **DKZPa** = *cod. Parisiensis, Bibl. Nat. lat. 13343, s. xii, fol. 104* || **1** yante **Z** hiantem **D** Iantha **Pa** Hau. || **2** hoc] est **Pa** Hau. || **3** prohibente] damnante **D** | ludum] lapsum **D** || **4** neuter] nullus **DPa** neutreorum **K** || **33** Hau. p. 187. R. Ellis, Anecdota Oxoniensia, class. ser. I. v, 1885, 23. **DZL** || **1** nec **Z** Hau. n̄ **L** || **3** nolo] non **Z** Hau. | speres] expectes **Z** Hau. affectes **L**

consecrat ethereas solis Iunonibus arces 5
lex melior: manes masculus uxor habet.
cum doleat culpam suspecti Iuno mariti,
mercedem culpe non dolet esse polum.

34

De plagis Egipti

Prima rubens unda: rane tabesque secunda.
inde culex tristis: post musca nocivior istis.
quinta pecus stravit: vesicas sexta creavit.
pone subit grando: post brucus dente nefando.
nona tegit solem: primam necat ultima prolem. 5

35

Ad M⟨athildem⟩ reginam

Augustis patribus augustior orta Mathildis,
quaslibet in laudes ora diserta vocas –
sed frustra, quia nemo tibi preconia solvet,
que genus, et mores, et bona forma petit.
una loqui te lingua potest, que laudis opime 5
materiam linguis omnibus una paras.
in vultu regina tuo est, redoletque Sabinam
non levis incessus, nec datus arte decor.

34 *Citant Ioannes Saresberiensis, Policraticus VIII. 21. 797 C (ed. Webb); Ric. de s. Victore, Excerptiones priorum IV. 7 (P. L. 177. 218). inclusit in Libro Florido suo Lambertus de s. Audomaro (cf. Delisle, N. E. 38. 648)*

33 5. 6 *om.* **D** || 5 iunioribus **Z** || 7 culpa **Z** || **34** Beaug. col. 1360, P. L. col. 1436, Hau. p. 121. Libellus de modo confitendi, Daventriae 1491 (Proctor 8997); Sententiae proverbiales de moribus, carminibus antiquis conscriptae, Basiliae 1568, fol. 124; Carminum proverbialium totius humanae vitae statum breviter deliniantium . . . loci communes, Basiliae 1576, fol. 280; Proverbialia dicteria versibus rhytmicis . . . per A. Gartnerum, s. l. 1582, fol. 124^{v}; C. Horstman, Richard Rolle and his followers, Londini 1895, I. 428. **DACKZFIPGLR** incipiunt versus eiusdem episcopi de x plagis egypto **K** || 5 necat] vexat ed. || **35** Beaug. col. 1334, P. L. col. 1408, Hau. p. 59. scripsit paulo post 1100, cf. praef. XXIX. **DC** || 3 solet *corr. in marg.* **D** || 8 non] nec **C**

non mores doctrina sacros, non virgo pudorem
10 prestitit – ex proavis fluxit utrumque bonum.
cuncta tue genetricis habes, que clausa sepulchro,
illustrat meritis Anglica regna suis.
neve simul caderet muliebris gloria sexus
te peperit, partu tota renata tuo.
15 non semel orta parens iacet urna, regnat in aula,
hic homini, sursum collaterata Deo.
collaterata Deo, quam sit nihil omne relictum
cernit, quam sit inops filia sceptra tenens.
hanc sibi securam de te curare, suumque
20 taliter Auctorem sollicitare reor:
'nondum me totam celesti sede recepi,
magne Deus, requie semibeata fruor.
pars iacet in tumulo, pars Anglica regna gubernat,
divisamque tenent aula, sepulchra, polus.
25 quam tenet aula iuva: quam clausa sepulchra reforma:
quam polus exaudi, sisque corona tribus.'

36
De Roma

Par tibi, Roma, nihil cum sis prope tota ruina.
quam magni fueris integra, fracta doces.

36 *Citat totum Will. Malm., Gesta regum IV. 351, unde versus 37, 38 traxerunt Helinandus, Chron. 47 (P. L. 212. 1001) et Vincentius Bellovacensis Spec. Hist. XXV. 108* || **2** *Petrus Pictor in poemate quod* 'Roma potens quondam' *incipit (ed. a Wattenbach, N. A. 18. 511) vv. 13, 14* marmorei cives, Rome monumenta prioris, | contestantur adhuc quanti fuit illa decoris

35 21 *Ovid. met. V. 275* || **36 1** *Mart. epig. XII. 8. 1, 2*

35 9 virga **DC** || **10** preterit ed. || **12** regna] terra **C** || **13** sexus] lingue **C** || **15.16** *om.* ed. || **18** sceptra] regna ed. || **36** Beaug. col. 1334, P. L. col. 1409, Hau. pp. 59–66. Hommey p. 456; Martini Opitii Variarum lectionum liber, Dantisci 1637, 41; A. L. (Burmanni) I. 457; Poet. Lat. Min., ed. N. E. Lemaire, Parisiis 1825, IV. 206; J. S. Brewer, Giraldi Cambrensis Opera Hist., Londini 1861, I. 370; W. Stubbs, Radulfi de Diceto Opera Hist., ibid. 1876, II. p. lxxiv; F. Schottus, Itinerarii Italiae, Antverpiae 1600, 135 versus 19–32 praebet. cf. etiam Pascal, Poesia pp. 19–33. **DCKZNEM LRZ²** Will. = *Willelmus Malmesbiriensis, Gesta regum IV. 351.*

longa tuos fastus etas destruxit, et arces
  Cesaris et superum templa palude iacent.
ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes 5
  et stantem tremuit, et cecidisse dolet;
quem gladii regum, quem provida iura senatus,
  quem superi rerum constituere caput;
quem magis optavit cum crimine solus habere
  Cesar, quam socius et pius esse socer. 10
qui crescens studiis tribus hostes, crimen, amicos,
  vi domuit, secuit legibus, emit ope.
in quem, dum fieret, vigilavit cura priorum,
  iuvit opus pietas hospitis, unda locum.
materiem, fabros, expensas axis uterque 15
  misit: se muris obtulit ipse locus.
expendere duces thesauros, fata favorem,
  artifices studium, totus et orbis opes.
urbs cecidit, de qua si quicquam dicere dignum
  moliar, hoc potero dicere 'Roma fuit.' 20
non tamen annorum series, non flamma nec ensis
  ad plenum potuit hoc abolere decus.
tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque pars stans
  equari possit, diruta nec refici.

36 5 *id. ibid. vv. 5, 6* Roma potens cecidit, heu heu, quam cura laborum | mundi constituit dominam sedemque sacrorum || **10** *Bern. Clun. I. 942* nec socer illius, aut socius pius esse tulisti || **19** *Petrus Pictor op. cit. v. 15* pro dolor ecce iacet, iacet urbs precelsa supina, *ex quo apparet Petrum codice lectionem α praebenti usum esse* || **20** *Carm. Burana 101 dist. 34* ve tibi, Troia, peris, iam non mihi Troia videris | *Bern. Clun. III. 731* fas mihi dicere, fas mihi scribere 'Roma fuisti' | *Nicolaus Borbonius apud F. Schottum, Itinerarii Italiae, Antverpiae, 1600, II. 136* Roma fuit: nequeo brevius, te Roma perisse / dicere. quod brevius dicere 'Roma fuit?'

36 5 *Claudian VIII (in cons. Hon.) 387* || **7** *Lucani Pharsalia IV. 801* || **17** *id. ibid. VII. 705* || **20** *Verg. Aen. II. 325, 6* || **21** *Hor. c. III. 30. 5. Ovid. met. XV. 871, 2*

36 7 iura] cura **MZ**[2] Hau. iura *corr. in* cura **R** || **11** *om.* **CKZM** || **12** *om.* **CKZ** || **14** locus **E** Hau. || **15.16** *om.* **CKZE** ed. || **15** materiam **D** || **19.20** pro dolor urbs cecidit cuius dum specto ruinas / penso statum solitus dicere roma fuit ***α*ZE** ed. || **21** ensis] hostis **NMZ**[2] || **29.30** *post* **22** *transpos.* **DMRZ**[2] Hau. Will., **23.24** *om.* **DMZ**[2]

25 confer opes marmorque novum superumque favorem,
artificum vigilent in nova facta manus,
non tamen aut fieri par stanti machina muro,
aut restaurari sola ruina potest.
cura hominum potuit tantam componere Romam,
30 quantam non potuit solvere cura deum.
hic superum formas superi mirantur et ipsi,
et cupiunt fictis vultibus esse pares.
non potuit Natura deos hoc ore creare,
quo miranda deum signa creavit homo.
35 vultus adest his numinibus, potiusque coluntur
artificum studio quam deitate sua.
urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
vel dominis esset turpe carere fide.

37

De Anglia

Anglia terra ferax, tibi pax diuturna quietem,
multiplicem luxum merx opulenta dedit.
tu nimio nec stricta gelu, nec sidere fervens,
clementi celo temperieque places.
5 cum pareret Natura parens, varioque favore
divideret dotes omnibus una locis,
elegit potiora tibi, matremque professa
'Insula sis locuples plenaque pacis', ait.
'quicquid luxus amat, quicquid desiderat usus,
10 ex te proveniet, aut aliunde tibi.

36 37. 38 *Carm. Burana 101 dist. 35* urbs fortunata, si posses vincere fata, / vel possent fata segnius esse rata || **37 1** *cf. versum primum poematis a Wattenbach editi apud N. A. 1. 601 et illud Petri Pictoris* 'Flandria dulce solum' *(ed. a Wattenbach, N. A. 18. 509)* || **9** *Petrus Pictor op. cit. v. 8* quicquid letitie, quicquid amoris habet

36 25 *Hor. c. I. 31. 6*

36 25–28 *om.* **K** || **25** marmorq. novum] ebur et marmor **αZE** ed. || **27** stanti] tanti **D** tanto **ZE** | machina] fabrica **αZE** ed. || **37** Beaug. col. 1366, P. L. col. 1443, Hau. pp. 133, 4. scripsit inter annos 1114 et 1118, cf. praef. XXIX. **DCKZ** || **3** fervens] ferves **KZ**

te siquidem, licet occiduo sub sole latentem,
queret et inveniet merce beata ratis.
tempus erit, quo sceptra tibi promissa gubernet
Henricus, nec avis nec patre rege minor.
rege sub hoc pax ecclesie, reverentia legi, 15
iudicium vitio, gloria rebus erit.
rege sub hoc metuet latro vel meminisse latronis;
rege sub hoc tutum preter honesta nihil.
huic sociam dispono thori, cui preparo quicquid
agnoscit virtus in muliere suum. 20
neve notam trahat ex vitio vel stirpe parentum,
sanguis erit regum, iustus uterque parens.
hec ea nascetur quam purpura querat, et aula,
ad quam confugiat pulsus ab orbe Pudor.
hec ea nascetur, qua rex, qua regia proles, 25
qua Cesar plaudat coniuge, matre, socru.
hec ea nascetur que vivat et instet honesto:
pauca viro pariet, pignora multa Deo.
hec ea nascetur que maiestate coronam,
sceptra manu, gemmas ore micante iuvet. 30
hec perfusa genas genio quem mundus adoret,
ver geret in vultu, pectora legis erunt.
his ego principibus sum te factura beatam
Anglia: quod superest pandere nolo tibi.'

38

De Roma

Dum simulacra mihi, dum numina vana placerent,
militia, populo, menibus alta fui.

37 14 *Ovid. ex Ponto II. 8. 33* || **22** *Ovid. amor. I. 3. 10* || **31** *Verg. Aen. XII. 65*

37 17 metuit **K** | latronis *om.* **K** || **19** preparo] prepono **C** || **21–34** *om.* **C** || **22** utrique **Z** ed. || **23. 24** *om.* **D** || **25** quam . . . qua **K** quam . . . quam ed. || **31** genio cum deferat mundus **D** || **34** anglica **D** || **38** Beaug. col. 1335, P. L. col. 1409, Hau. pp. 64 *u. ad* 66. Hommey p. 457; Chamart p. 64; W. Stubbs, Radulfi de Diceto Opera Hist., II. p. lxxiv. **DCZEMZ**[2]

at simul effigies arasque superstitiosas
deiciens, uni sum famulata Deo,
5 cesserunt arces, cecidere palatia divum,
servivit populus, degeneravit eques.
vix scio que fuerim, vix Rome Roma recordor,
vix sinit occasus vel meminisse mei.
gratior hec iactura mihi successibus illis:
10 maior sum pauper divite, stante iacens.
plus aquilis vexilla crucis, plus Cesare Petrus,
plus cunctis ducibus vulgus inerme dedit.
stans domui terras, infernum diruta pulso;
corpora stans, animas fracta iacensque rego.
15 tunc misere plebi, modo principibus tenebrarum
impero: tunc urbes, nunc mea regna polus.
quod ne Cesaribus videar debere vel armis,
et species rerum meque meosque trahat,
armorum vis illa perit, ruit alta senatus
20 gloria, procumbunt templa, theatra iacent,
rostra vacant, edicta silent, sua premia desunt
emeritis, populo iura, colonus agris.
durus eques, iudex rigidus, plebs libera quondam,
querit, amat, patitur, otia, lucra, iugum.
25 ista iacent ne forte meus spem ponat in illis
civis, et evacuet spemque bonumque crucis.
crux edes alias, alios promittit honores,
militibus tribuens regna superna suis.
sub cruce rex servit, sed liber; lege tenetur,
30 sed diadema gerens; iussa tremit, sed amat.

38 **13** *Bern. Clun. III. 639* indiga divite, languida sospite, diruta stante *et vv. 633–676 passim*

38 **3. 4** *Prudentius, contra Symmachum II. 765* et madidas sanie deiecimus aras, 768 sed soli pacis domino mea serviat aula || **9** *id. ibid. II. 619* hoc actum est tantis successibus atque triumfis || **12** *Ovid. amor. I. 9. 22* || **19** *Claudian XV (bellum Gildonicum) 46* || **23** *Ovid. ars I. 461* || **29** *Vulg. ad Rom. VI. 18* liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae

38 **3** supersticionis **C** || **12** cinctis Hau. ed. || **17** quod] que **E** Hau. || **26** evacuent **D**

fundit avarus opes, sed abundat: fenerat idem,
sed bene custodit, sed super astra locat.
quis gladio Cesar, quis sollicitudine consul,
quis rhetor lingua, que mea castra manu
tanta dedere mihi? studiis et legibus horum 35
obtinui terras: crux dedit una polum.

38 33–35 *id. III. 633* plus tibi Caesare sustinuit dare rex crucifixus

38 31 *Ambros. in psalmos XXXVI. 62* fenerato ergo fidem gentibus ut tibi abundat gratia | *Ovid. am. II. 10. 33 et III. 7. 50*

38 32 locat **ZZ**[2] Hau. locans *codd. omnes ed.* | sed[2]] si **MZ**[2] Hau.

39

De sacramento baptismatis, coniugii, altaris

I

Baptismalis quedam forma fuit in diluvio:
huic successit, huic cessura carnis circumcisio.
ut cognatos et affines uniret coniugium,
raritate prime prolis fuit necessarium.
5 ut augerent caritatem nuptie sub gratia,
ad externos transierunt sacra matrimonia.
ante legem pro peccato panis factus hostia
legi cessit, et post legem redit ad altaria.
ex his tribus sacramentis que sunt dicta brevius,
10 sequens versus prosequetur et ostendet plenius.

II

Hostia, coniugium, baptismus qualia primo
talia nunc: res ipsa redit, evanuit umbra.
diluvium speciem baptismi gessit, et unda
abluit excessus undis quandoque lavandos.

39 *Schemate eodem usus est Petrus Pictor in poemate quod* 'Matronarum pudicarum' *incipit (ed. a Boutemy apud Lat. 7. 65) et in poemate de sacra eucharistia (P. L. 171. 1195–1212). poematibus* 'Tribus malis' *et* 'Quisquis male mulieris' *(ed. a Boutemy, op. cit. pp. 55, 61) prologum eiusdem fere formae praefixit, qui tamen schema rhythmicum 8 /◡ habet*

39 II. 5 Thare *Vulg. Gen. 11. 27*

39 Beaug. col. 1151 (IV) et 1349 (III), P. L. col. 1193 (IV) et 1424 (III), Hau. pp. 89–94. Hommey pp. 442–446; H. Denifle, Revue des Bibliothèques 6, 1896, 54 (ed. complectitur partes I–III et sex versus partis IV); A. Wilmart, Rev. Bén. 49, 1937, 124 (ed. complectitur partem primam poematis). ordinem partium discussi, praef. XXIV. || **I DACZEP 1. 2** *om.* **Z** || **7** peccato] delicto **DA** delictis **C** || **8** lege Hau. || **9. 10** *om.* **ZEP** || **II DACKZEFIP 1. 2** *transpos. post IV. 36* Hau. || **1** hostia] hinc **C**

preputium post diluvium successio Thare 5
deposuit, ritusque fuit sic prava piare.
circumcisa caro lavit sub lege reatus,
illud agens quod agit fons sub cruce sanctificatus.
fons pueris, fons simplicibus, fons crimine mundis,
ad vitam prodest: crux hoc accommodat undis. 10
talibus aut meritis aut evo profuit ante
circumcisa cutis, sed Christi morte iuvante,
ritus uterque sacer, quia sanguis utrumque sacravit;
tempus utrique suum: corpus piat, umbra piavit.
supplicium, sed misterium, sed tempore sacrum, 15
preco fuit, quia precinuit fluviale lavacrum.
preconem decuit, Domino presente, silere,
necnon et Dominum, precone silente, iubere.
sic ad se baptisma redit, cessante figura,
sic involvit aquis sua circumcisio iura. 20

III

Affines consanguineos conubia prima
non susceperunt, nec plures una, nec unus.
unīus coniunx fuit Eva, vir unius Adam.
precessit coitum benedictio, gratia prolem.
nupta sequens non sic, cui copia parva virorum 5
affinem consanguineum fratremve iugavit.
hinc etiam plures uni nupsere marito,
non solum quia queque parem non inveniebat,
sed quia Messiam proles paritura placebat.
tu genetrix Ysaac, venturi prescia Christi, 10
coniugii sociam patienter sustinuisti.
ante datam legem Iacob Rachel et Lia nupsit;

39 III. 1 *Marbodus, Dec. cap. VIII. 13. 14* qua genetivus amor natos ligat atque parentes / et consanguineos sociali federe iungit

39 II. 6 prava] sacra **KZ** || **9** pueris] puris **E** || **12** cutis] caro **EP** || **14** umbra] unda **E** || **19** sic] hic **KZ** || **20** sic] hic **KZ** || **III DACKZEFIP** **3** unius eva fuit coniunx **KZ** Hau. ed. | unius et adam **A** unus et adam **F** || **6** fratremque **EFIP** | *post* **6** *habet* **I**: disposito legis propria de stirpe petito || **7** *om.* **DACKZ** ed. || **12** rachel iacob **DA** et r. et l. **E** Hau.

uxores sub lege duas simul Helcana duxit.
temporis illius si vis attendere nuptas,
15 quesita est suboles, non affectata voluptas.
non sibi, sed generi matrona satisfaciebat;
unde Redemptorem venturum prospiciebat.
hinc uni multe, non multis una maritis
heserunt pariter, velut ulmo plurima vitis.
20 unus enim multis ad prolem sufficiebat,
pluribus una viris non quo generaret egebat.
sic populum Domini peperere sacre mulieres,
unde creandus erat suus ille Redemptor et Heres.
illius adventus conubia prima reduxit;
25 inde nec affinis nec proxima sanguine nupsit.
nam descendentes ab eadem stirpe ligantur
proximitate sua, carique sibi generantur.
nil amplexus eis ad honestum prestat amorem,
nam satis hunc fratrem, satis est hanc esse sororem.
30 inter eos ideo conubia nulla iugantur,
quos generis pietas et gratia precomitantur.
vult Deus ut fiant qui non nascuntur amici:
vult homines aliud quam cognatos sibi dici.
illas uxores, istos vult esse maritos,
35 ex alienigenis illas istosque petitos.
Hymen amicitia quos stirps sua separat unit.
federat hic populos, ligat urbes, menia munit.
sic diffusus amor, sic res hec publica crevit,
sic mundus discors quesita pace quievit.
40 ut sacra sub Christo dilectio porrigeretur,
femina sub Christo sic nubere lege iubetur.

IV

Melchisedech Domino panem vinumque litavit:
Christus idem statuens pactum vetus evacuavit.
inter utrumque diu fuit alter sacrificandi

89 III. 13 Helcana *Vulg. I Reg. 1. 1* || **19** *Ovid. her. V. 47*

89 III. 14 *om.* **C** || **17** inde **AKZ** ed. || **21** quo] quod **AC** que **D** || **29** nam] iam **KZ** ed. | hunc] nunc **K** est **Z** ed. || **36** hymen amic.] coniugale bonum **DZP** Hau. ed. || **37** hoc **DAZP** Hau. || **41** christi **FI** ed.

ritus, et obtinuit vim qualemcunque piandi.
agnus enim legis carnales diluit actus, 5
agnum presignans qui nos lavat, hostia factus.
hoc semel oblato, cursum prior ille peregit,
quodque fuit signum presens effectus abegit.
quis locus aurore, postquam sol venit ad ortum?
quis locus est votis, teneat cum navita portum? 10
lex aurora fuit, bos et capra vota fuere,
crux sol, crux portus: hec est, ea preteriere.
crux clausit templum, crux solvit enigmata legis;
sub cruce cessat ephot, et deficit unctio regis.
hircus, ovis, passer, vervex et adeps vitulorum 15
nil preconantur: Deus hostia finis eorum.
parcat Hebreus ovi, caro carnes abstulit are;
est pecudum pecudes post Christum sacrificare.
mortuus ille semel licet ultra non moriatur,
idem cotidie sine vulnere sacrificatur. 20
que vegetet mentem, nisi Christus inania sanxit,
in Christi carnem panis substantia transit.
panis in altari Deus in cruce: nil dubitetur:
hoc verbo vite fieri vita ipsa fatetur.
hac in carne nihil carnale nihilve cruentum; 25
spiritus hanc tangit, videt, accipit ad monumentum.
ordo sacer, bona traditio, pia victima panis;
inde procul facinus, procul horror et usus inanis.
secretum felix, nova virtus, utile sacrum,
quo factus sanguis, liquor est vitale lavacrum. 30
nam quia peccantes medicina semper egemus,

39 IV. 19.20 *Petrus Pictor, De s. eucharistia (P. L. 171. 1212) vv. 29–32* qui semel occisus licet ultra non moriatur, / mors tamen ad vitam nobis eius renovatur, / Christum quotidie devotio presbyterorum / mactat

39 IV ACKZEFIPG 11 fuere] fuerunt **KZEP** || **12** hec omnia pret. **E** hec illaque pret. **Z** | preterierunt **KZE** || **17** caro] crux **F** ed. || **24** vite verbo **F** ed. || **25** nihilque **FP** ed. || **26** christus hanc tangit **A** hanc christus tangit **E** | monimentum **ZEFI** ed. || **28** inde] unde **DCEP** Hau. | qua veteris ritus cruor horridus extat inanis **FI** ed. || **29** decretum Hau.

hanc pro peccatis medicinam semper habemus.
hec datur ad vitam, sed si reus hunc verearis,
qui Patris ad dextram sedet et mactatur in aris.
35 ecce vides in lege tipos et signa perisse,
ad propriumque caput tria sacramenta redisse.

40

Cur Deus homo

Ade peccatum que conveniens aboleret
victima? numquid homo? sed et hic reus unde placeret?
angelus, an fruges, an vacca? sed hostia talis
natura dispar, pretio minor esset inanis.
5 hec eadem que displicuit natura placere
debuit, atque aliquid quo pacificaret habere.
ergo fuit querendus homo, cui preter id ipsum
quod puri est hominis, quiddam foret unde placeret.
unitur carni Deus, et Natura creatrix
10 que redimit recipit, fit et ipsa redempta redemptrix.
par homini, quia verus homo, sed dignior ortu,
dissimilis culpa, deitate potentior idem.
quem quia non genuit ex lapsu nata voluptas,
iustus pro lapsis agit, occisusque perorat.
15 hostia sufficiens, que celos cive replevit,
qua furor offensi cecidit, qua gratia crevit;
antidotum felix, quo vulnera nostra coherent,
angelus exultat, homo gaudet, Tartara merent.

39 IV. 34 *id. ibid. cap. xxv. v. 29* qui Patris in dextra pollens deitatis honore || **40 3. 4** *Poema in rotulo Mathildis Cadomensis abbatissae († 1113) inscriptum (apud Delisle, Rouleaux p. 183) quintum versum habet* non erat hostia quae morientia morte piaret || **15** *ibid. v. 17* ergo patet via celica menia qua repetamus

39 IV. 35 praeisse Hau. || **36** et caput ad proprium Hau. || **40** Beaug. col. 1332, P. L. col. 1406, Hau. pp. 48, 9. Hommey p. 441. scripsit post annum 1098, cf. praef. XXIX. **DACKZEFP** || **6** quo] quod **DAFP** ed. || **7** cui] qui **KZP** ed. || **10** que] quem **DEF** quod Hau. || **14** occiduusque **KZ** occiosusq. **F**

41

Ad ducem R⟨ogerum⟩

Magne pater patrie, maiorum maxime princeps,
ad vigilata tibi carmina verte manus.
carmina per scopulos, per plenas mortibus alpes
misimus, inque brevi, si licet, ipse sequar.
difficilis labor est, sed nil grave nilque molestum 5
quod duce, quod domino precipiente feram.
nil potuit gravius mihi cedere quam procul esse
a te, cui preter turpia nulla procul;
qui nullum pateris a te discedere tristem,
nec gaudes quotiens gaudia nulla moves; 10
qui ne degeneres, titulos equare paternos
niteris, atque omnes vincere, patre minor.
patre minor solo, maior quandoque futurus;
dux sequeris, Cesar antefereris ei.
magnum quid supraque ducem prenuntia virtus 15
spondet, et imperii vaticinatur onus.
vult talem gradus ille virum, vir et ipse meretur
talem successu prosperiore gradum.
nolo tenere tuas longis sermonibus aures:
* * * sufficit hora mihi. 20

41 5 *Baldericus de Bourgueil 42. 266* sique iubere velis nil est grave, nilque molestum

41 1 *Ovid. fasti II. 127* || **9** *Sueton. Titus VIII* non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere || **10** *cf. Hildeberti poema 18. 22*

41 Hau. p. 200. scripsit fortasse in honorem Rogerii comitis secundi Siciliae, postea ducis Apuliae, cf. praef. XXIX. discussi apud M. A. R. S. p. 64 **DZ** || **3** mortibus] montibus **D** || **5** sed *om.* **Z** || **7.8** *om.* **D** || **9** qui] tu **D** || **10** gaudet **D** || **11** qui] te **D** || **13** quandoq. Hau. quanque **Z** virtute **D** || **17.18** *in* vult talem successu prosperiore virum *conflat* **D** || **18** successus *corr. in* successui **Z** | prospicuiore Hau. prospiciore **Z** || **19** linguis *corr. in* longius **D** || **20** *prima pars versus deest in utraque exemplari*

42

De XII lapidibus et nominibus filiorum Israel

Ruben precedens in origine, iaspis in ede,
virtutum simul et fidei primordia signat.
in partu Simeon, saphirus in ede secundus,
triste cor insinuat, cui conversatio celum.
5 tertius appositu calcedon, germine Levi,
incrementa boni, sed adhuc occulta figurant.
in nascendo Iudas, et quartus in ede smaragdus,
ora professa fidem, fideique loquuntur agones.
appositi quinti Dan sardoniusque paratos
10 iudicio memorant, humiles ac pectore puros.
sardius appositu, Neptalim tempore sextus,
martirium signant et amoris duplicis ignes.
crisolitus templo, Gad patri septimus ortu,
accinctos in bella notant signisque micantes.
15 inde berillus, Aser octavus, uterque figurant
iam requie mentis operumque nitore beatos.
nonus structura topazios, Ysachar ortu,
contemplativos et spe mercedis ovantes.
hinc decimus Zabulon, crisopasusque recensent
20 in bello fortes pretiique virore refectos.
undecimus iactu iacinctus, origine Ioseph,
votis addentes atque omnibus omnia factos.
inde verecundos, humiles, longoque merentes
martirio dextram Patris amplexusque figurat
25 Beniamin et pariter ametistus, uterque supremus.

42 *Auctores Christiani qui allegorias de lapidibus pretiosis exponunt materiam trahunt ex descriptione aut rationalis sacerdotis summi (Vulg. Exod. 28. 17) aut fundamentorum civitatis sanctae (Vulg. Apoc. 21. 19, 20), cf. L. Pannier, Les lapidaires français, 209–216; P. Studer et J. Evans, Anglo-Norman lapidaries, xvi, xvii; J. Evans, Magical Stones, 72. huius poematis allegorias referre ad fundamenta ostendunt* 'ede' *(vv. 1, 3. 7) et* 'templo' *(v. 13).*

42 Beaug. col. 1361, P. L. col. 1438, Hau. p. 126, **DAC** || **2** signant **D** || **4** insinuant **D** || **5** appositi **A** ed. || **6** figura **D** || **10** humilesque **AC** || **12** duplices **D** || **17** topazius **D** ed. || **20** virore] nitore ed. || **22** addentes] ardentes **C** || **24** figurant **C**

43

Versus cuius supra ad Gauffridum abbatem
Vindocinensis ecclesie qui anulo
et sandaliis utebatur episcopalibus

Ars asino submisit equam, mixturaque mulum,
  lascivam subolem, prodigiosa dedit.
sic tibi mixtus honor, sic ex abbate simulque
  presule nescio quis dicitur esse gradus.

44

⟨*De amicis infidis*⟩

Nullus in adversis hoc tempore perdit amicum:
  incipit a dubiis fallere quisque fidem.

45

Versus cuius supra
quare dominicum corpus in tres partes frangatur

Tollimur e medio, fatis urgentibus, omnes,
  et trahimur quo nos vita peracta vocat.
hi numquam, hi semper, alii plectuntur ad horam,
  purgatisque datur transitus ad requiem.
hanc illis altare sacrum, vel criminis expers 5
  vita, vel obsequiis emptus amicus emit.

43 4 *Marbodus, Varia I. 18. 4 (P. L. 171. 1656)* esse potest neutrum, vel si dicatur utrumque || **45** *Poema totum citat Vincentius Bellovacensis Spec. Hist. 25. 113*

43 2 *Hor. c. III. 13. 8* || **44** 1 *Ovid. trist. I. 9. 5, 6* || **45** 1 *Ovid. trist. V. 6. 23*

43 Beaug. col. 1355, P. L. col. 1430, Hau. p. 115. scripsit post annum 1093, cf. praef. XXX. **DAKZ** *titulus deest apud* **D**, *praebet* **K** || 3 honos **KZ** || **44** Hau. p. 189. discussi apud M. A. R. S. p. 65 **KZG** || **45** Beaug. col. 1149, P. L. col. 1192. W. Wattenbach, N. A. 6, 1880, 450; H. Denifle, Revue des Bibliothèques 6, 1896, 513; M. Hammond, Speculum 7, 1932, 533, 4. cf. etiam Wilmart, Rev. Bén. 49, 1937, 125 n. 1. **ACKEFIPG** || 6 emptus] certus **C**

perfectos valdeque malos nil vota suorum,
  nil impensa precum, nil holocausta iuvant.
nam nec iustus eget, nec pessimus ista meretur:
10 in medio est veniam cui sacra mensa parat.
ipsa tamen vivos a vite calle vagantes
  ut redeant saltem sero iuvare solet.
inde fit ut quotiens sacris accedimus aris,
  particulis cedat hostia fracta tribus.
15 pars intincta mero pro vivis orat, opusque
  sanguinis et carnis expiat, ipsa caro;
pro bene defunctis, quorum purgatior unus
  hoc interventu non eget, alter eget,
offerimus tibi, Christe, duas, sed propter eosdem
20 oblate pariter non operantur idem.
nam pars pro sanctis, pars est pro sanctificandis:
  illa refert grates, supplicat ista Deo.
hostia pro iustis laus est, pro iustificandis
  mentio, pro reliquis causam agit alterius.
25 fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
  misterio simplex, utilitate triplex.
fit cibus hic ovis in ligno, leo fortis in urna,
  ales ad astra volans, rex super astra sedens.
neve putes illi tumulumve crucemve deesse,
30 ipse calix tumulum denotat, ara crucem.
utque fides adsit terrorque recedat et horror,
  fit cibus ipse caro, panis imago manet.

45 **15—22** *citat Galfridus de S. Barbara ep. 34 (P. L. 205. 866)* || **23.24** *citat id. ep. 7 (P. L. 205. 836)*

45 **12** solet] potest **P** || **13** unde **CK** || **15** orat] aptatur **C** orat et ** acta **A** || **19** Christe] summe **E** ed. || **23—28** *om.* **G** || **24** *om. ed. post* **24** *habet sola* ed.: vota precum ut citius detur eis requies / at reliquis quorum mala mors, ac improba vita / promeruit poenam, non favet haec venia || **24** causam agit alterius] proficit ecclesie **AC** || **25—32** *om.* **AC** || **28** astra] alta **KI** || **30** ipse] ille **E** || **31** horror] error **E** | utque fides crescat horror tollatur ab aris **P** utque fides assit horror tollatur ab ara **G**

46

Versus ad Ceciliam abbatissam Cathomi

Qui solet ante homines Cicerone disertior esse,
facundus minus est, cum venit ante deos.
sic ego, cum medie plebi loquar ore diserto,
in vultu potui dicere pauca tuo.
maiestate tua stupui, totamque vaganti 5
percurrens oculo, sum ratus esse deam.
parcius elimans alias Natura puellas,
distulit in dotes esse benigna tuas.
in te fudit opes, et opus mirabile cernens,
est mirata suas hoc potuisse manus. 10
hec posuit vultuque deas animoque parentes,
quos homines solis posthabuere deis.
quodque magis miror, pulcram castamque creavit,
quo nihil hic sexus maius habere potest.
quamvis sexus, opes, genus, etas, forma resistant, 15
nil te reginam preter honesta iuvat.
innumeros hostes et virgo vincis, et una
vincis quod virgo vincere nulla potest.
et quia non fuerat homo tanta coniuge dignus,
coniunxit sponsam te sibi, virgo, Deus. 20
ne pudeat, regina, tuas me dicere laudes,
et dominam dici te patiare meam.

46 **1.2** *citat Alexander Neckam in comment. suo in psalmum 139 apud Oxon. bibl. Bodl. cod. Bodl. 284, fol. 286ᵛ B. cf. eiusdem Corrogationes novi Promethei v. 549, apud Paris. bibl. nat. cod. Lat. 11867, fol. 233ᵛ B* disserit interdum Cicerone disertior alter || **21.22** *Henricus de Huntingdon, in Historiam Anglicanam (7. 33 apud Rolls Series 74. 243) poema profert cuius versus decimus:* nec pudeat dominam te, precor, esse meam.

46 **13** *Ovid. amor. III. 4. 41, 42* | *id. her. XV. 290* || **16** *Ovid. ars I. 749* || **17** *Ovid. met. VI. 524, 5*

46 Beaug. col. 1366, P. L. col. 1443, Hau. pp. 130–133. (vv. 7–10 = Marbodi Var. II. 13, Beaug. col. 1619, P. L. col. 1719). Pressel p. 408. scripsit ante annum 1127, cf. praef. XXXI. **CKZHNG** || **1** homines] alios **CHN** || **3** medio plebis **G** || **7** eliminans **C** eluminans **H** || **12** solis] numquam **KZ** ed. || **15** resistent **Z** ed. || **19** homo tanta] tanta quis Hau. ed.

47
⟨*Quid sit vita pudica*⟩

In noctem prandes, in lucem, Turgide, cenas,
  multimodoque mades nocte dieque mero.
cumque cuti studeas, uxorem ducere non vis.
  cur nolis? dicis 'vita pudica placet.'
5 Turgide, mentiris: non est hec vita pudica.
  vis dicam quid sit vita pudica? Modus.

48
⟨*De Ganymede*⟩

Lumina, colla, gene, flavi flexura capilli,
  in Ganimede suo flamma fuere Iovi.
Iuppiter in puerum querens sibi pauca licere,
  in puero statuit cuncta licere deus.
5 oblitusque poli curas et murmura divum
  et linguam lese coniugis atque Iovem,
Iliacum tulit ad superos, ad sidera sidus,
  et se tunc tandem credidit esse deum.
utque puer pelex visu tactuque placeret,
10 oscula nocte Iovi, pocula luce dabat.

47 *Poema inclusit in florilegio suo 'Hortus deliciarum' Herrade de Landsberg (cf. Lenoble, Bibl. éc. chartes 1e sér., 1. 260)* || **48 10** *Cod. Oxon. bibl. Bodl. Rawl. G. 109, p. 68 praebet hos versus sine nomine auctoris.* Quintilius celare volens sua furta, puellam / hornat veste viri, fitque puella cliens. / dupliciter servit, vir cultu, femina sexu; / nocte dat amplexus, luce ministrat ei.

48 **2** *Ovid. met. X. 155* || **4** *Ovid. her. IV. 133* || **7** *Ovid. trist. II. 406*

47 Beaug. col. 1353, P. L. col. 1427, Hau. p. 103. Pressel p. 409; M. V. Martialis nova editio. ex museo P. Scriverii, Lugduni Batavorum 1619, 311; M. V. Martialis epigrammaton libri ed. D. F. G. Schneidewin, Grimae 1847, 637; Poet. Lat. Min., ed. N. E. Lemaire, Parisiis 1825, III. 297. **KZHNLR** || **48** Hau. p. 179. Pressel p. 409; A. L. I. ii. 273. **KZHNM** || **2** ganimede suo] regis puero **H** || **3** pauca licere] cuncta placere **K** || **8** tantum **K** || **9** tactu visuque **H**

49

Versus cuius supra de Petro Pictaviensi episcopo

Petre, super petram nec inaniter edificasti,
illic et turres quibus itur ad astra locasti.
flaverunt venti, ruit imber, flumina, grando,
nil tamen istorum concussit eas aliquando.
tot tempestates frustratus es undique tutus, 5
nec gravibus cedens nec prosperitate solutus.
tu vas electum, vas purum, vas in honorem,
quod morum nectar, quod vite fudit odorem.
tu ducis ulceribus medici vice condoluisti;
palpatis frustra ferrum pius apposuisti. 10
de thalamo nuptam, sponsam de sede fugarat,
templa, thorum, patriam, vi, pelice, labe gravarat.
sepius hunc ut se sibi redderet admonuisti;
spernentem Sathane sed merens exposuisti.
hinc eger gravius secretis ignibus arsit, 15
virus et invidie male saucia viscera carpsit.
Iezabel Helias, Herodiademque Ioannes
pertulit: hinc ambo titulos meruere perennes.
te similis sexus, te par furor egit ab urbe;
hinc et tu vinclis, et res tua tradita turbe. 20
inde palatinis canibus sacra contăminata,
mores abiecti, ius fractum, lex violata.
hinc et clerus ab his conflictus, ab his laceratus,
qui facinus gratis adeunt, bona nemo rogatus.
tu tamen immotus tot tantaque sustinuisti, 25
in quibus exultans iter omnis carnis adisti.
presul in exilio mortalia nostra professus,
ora pro nobis ad celica regna regressus.

49 **1–6** *Vulg. Matth. 7. 24–7* || **5** *Hor. serm. II. 1. 20* || **7** *Vulg. ad Rom. 9. 21* || **21** *Vulg. III Reg. 21. 19*

49 Beaug. col. 1320, P. L. col. 1392, Hau. pp. 16–19. obiit Petrus anno 1115, cf. praef. XXXI. discussi apud M. A. R. S. p. 65 **KZ** || **2** itur] iter ed. || **8** fudit odorem] fundit honorem ed. || **9** condoluisti] consuluisti **Z** || **18** pertulit] perculit **Z** tulit **K** || **20** *om.* ed. || **26** *om.* ed. || **28** celica] edita ed.

50

De tribus vitiis: muliebri amore, avaritia, ambitione

Plurima cum soleant sacros evertere mores,
altius evertit femina, census, honos.
femina, census, honos fomenta facesque malorum,
in scelus, in gladios corda manusque trahunt.
5 felix expertus exemplo femina quid sit,
quique suos aliqua suffugit arte dolos,
femina res fragilis, numquam nisi crimine constans,
numquam sponte sua desinit esse nocens.
femina flamma vorax, furor ultimus, unica clades,
10 et docet et discit quicquid obesse solet.

50 1.2 *citat et Hildeberto attrib. Petrus Cantor, Verbum abbreviatum 54 (P. L. 205. 166)* | *Poema de malis mulieribus quod extat in cod. Vindobonensi bibl. nat. 5512 initium habet:* hec tria subvertunt sensum: affectio rerum, / multus thesaurus et stultus amor mulierum. *editum est ab A. Schultz apud Anzeiger 20, 1873, 134* || **7. 9. 11. 13. 15** *easdem repetitiones nominis 'femina' videbis apud Marbodi librum decem capitulorum, cap. III. 28–31* || **7** *Petri Pictoris poema 'De mala muliere' (ed. a Boutemy, Lat. 7. 61 sqq.) vv. 34, 35* et cupit expleri rem qua rea possit haberi: / nil fugit, incestum cupit, omne quod est inhonestum *et v. 72* femina res fragilis, pretio conducta monilis | *Poema in cod. Oxon. bibl. Bodl. Laud. misc. 352, fol. 171 inscripta, quod* 'Arbore sub quadam' *incipit, v. 45* femina res fragilis, res lubrica, res puerilis | *Poema ed. a C. Pascal, Poesia p. 175, v. 4* ad facinus tuta, numquam nisi fraude locuta || **9** *Petrus Pictor, op. cit. v. 22* femina flamma furens, sed flammis acrius urens | *Bern. Clun. II. 475* haec furor ultimus, hostis et intimus, intima pestis

50 Beaug. col. 1353, P. L. col. 1428, Hau. pp. 106–113. Hommey p. 547; Chamart p. 804; T. Wright, Reliquiae antiquae, Londini 1840, II. 270. scripsit ante annum 1096, cf. praef. XXXI. **ACKZNEIPLMR** Hommey || **1–15** *om.* **P** || **1** mores evertere sacros **KZNLR** ed. || **2** evertit] evertunt **ZNIMR** Hau. ed. || **5. 6** *om.* **ACNLMR** ed. || **7** nisi] sine **ACL** Hau. || **9** unica clades] intimus hostis **EZL** Hau. ed. || **10** solet] potest **N** Hau.

femina vile forum, res publica, fallere nata,
successisse putat cum licet esse ream.
femina triste iugum, querimonia iuris et equi,
turpe putat quotiens turpia nulla gerit.
femina tam gravior quanto privatior hostis, 15
invitat crimen munere, voce, manu.
omnia consumens, vitio consumitur omni,
et predata viros, preda fit ipsa viris.
corpus, opes, animos, enervat, diripit, angit,
tela, manus, odium, suggerit, armat, alit. 20
urbes, regna, domos, evertit, commovet, urit,
unaque tot regum spem capit, arma premit.
femina mente Parim, vita spoliavit Uriam,
et pietate David, et Salomona fide.
femina sustinuit iugulo damnare Ioannem, 25
Ypolitum letho, compedibusque Ioseph.
femina mente gerit, lingua probat, actibus implet
quo lex, quo populus, quo simul ipsa ruit.

De avaritia

Non minus invitat animos aut eruit aurum,
nec minus illicitum currere monstrat iter. 30

50 11 *Poema quod ed. Novati, Carmina medii aevi, 21 v. 13* femina vile forum, labor, cibus, causa dolorum (sic) | *Poema quod* 'Femina formosa scelus' *incipit (ed. a Wattenbach apud Anzeiger 20. 256) v. 24* femina res vilis turbatrix promptaque bilis. | *poema quod ed. Pascal loc. cit. v. 6* res mala, res vilis, res invida, nullĭ fidelis | *Bern. Clun. II. 460* res male publica, praedaque praedo *et II. 458* nataque fallere. *cf. poema quod introduxit Matthaeus Vindocinensis in artem versificatoriam suam (cap. 33, Faral p. 175)* femina suspirat ad crimina nata nocere || **13** *Marbodus, Dec. cap. III. 4, 5* femina triste caput, mala stirps, vitiosa propago, / plurima quae totum per mundum scandala gignit || **25.26** *Petrus Pictor op. cit. v. 56* Illa Ioseph . . . carcere dampnari fecit

50 12 *om.* **L** || **13.14** *post* **26** *ponit* **K** || **17** omnia consumens] consumensque viros **KZE** ed. || **21.22** *om.* **ACNIPMR** || **22** capit *corr. in* caput **K** caput Hau. Hommey cap̄. **E** || **23.24** *post* **25.26** *ponunt* **KZNPR** ed. || **26** compedibusque Ioseph] carcere spreta Ioseph **CKZE** ed. || **27** lingua] vita **NPM** || **29** invitat] immutat **AC** enervat **R** | nec minus hac animi vires effeminat aurum **KZ** ed. nec minus internas vires effem. aur. **E** Hau.

vix est quem pudeat auro pervertere rectum,
quem pigeat pretio quolibet esse reum.
auro perficitur quicquid captatur inique,
nemoque, pretenso munere, vana rogat.
35 aurum corda movens, oculorum predo sacrorum,
in facinus puras armat agitque manus.
auro sepe labat virtus et robor eorum,
quorum corda Deus, cetera laudat homo.
et quem iurares cervicem impendere recto,
40 spe modici fructus cuncta licere putat.
hostis atrox, iudexque gravis, tortorque severus,
spe pretii laxant prelia, iura, manus.
aurum castra locat, classem parat, exerit enses,
spernere vim, ventos, equora, tela docet;
45 solvit coniugium, perrumpit claustra pudoris,
sacras cede manus inquinat, ora dolis.
auro periurus Polimestor, adultera Dane,
perfida Tarpeia, trux Eriphyla fuit.
auro Crassus obit, auro ruit Amphiaraus;
50 auro castra, duces, ius, populique cadunt.

50 33. 34 *citat Petrus Cantor, Verbum abbreviatum 23 (P. L. 205. 85), unde versus traxit Gir. Cambr., Gemma eccl. II. 28 (ed. Brewer 2. 309)* || **37. 38** *Bern. Clun. III. 795, 6* munere sobrius ambulat ebrius ipseque cuius / os homo cor deus approbat et reus eius et huius || **40** *Petrus Pictor in poemate quod* 'Cur ultra studeam' *incipit (ed. a Flacio Illyrico apud Pia poemata, 349—354) p. 352, v. 13* fasque nefasque canens credit sibi cuncta licere | *Serlo Baiocensis in poemate de vita monachorum (ed. apud Wright Sat. Poets II. 189)* femina nil horret, cuncta licere putat

50 36 *Ovid. amor. II. 14. 4*

50 31 prevertere **KZI** || *post* **33** *habet* Hau. non caret effectu qui dare multa potest. / auro flectuntur dux miles parcitur hosti. *nescio quo codice hic usus sit.* || **35** preda **IPLM** || **40—66** *om.* **N** || **41** severus] cruentus **E** Hau. || **44** tela] saxa **AC** || **45. 46** *om.* **K** || **45** perrumpit] prorumpit **EL** Hau. disrumpit **Z** ed. dirumpit **P** || **46** sacra **AZMI** || **47. 48** *om.* **ACLR** || **50** cadunt] ruunt **ACR**

De ambitione

Quem vero nec res nec femina frangere possunt,
ambitus expugnat, consceleratque pium.
ambitus in vetitum mores deflectit, et infra
posse suum quemquam non sinit esse reum.
huius opus turbare duces, mutare coronas, 55
innocuis lethum, sceptra parare reis;
urbibus excidium, templis properare ruinam,
sternere patricios ensibus, igne lares;
ludibrio reges exponere, regna rapinis,
flagitiis matres, exilioque senes; 60
naturam vitiis, superos offendere ritu,
parcere tunc tantum, cum nocuisse nequit.
quem simul arripiunt tante contagia cladis
cuncta licere putat, dum sibi regna paret.
sustinet hic gladios in patrem ferre, nec unquam 65
fraude, cruore, dolis, mens, manus, ora vacant.

51

Versus . . . de pressura ecclesiarum

Iam tot in ecclesias insurrexere procelle,
quot vel quam magnas nulle cepere tabelle.
tot sunt que mergant, tot sunt contraria letis,
ut vix una queat portum sperare quietis.

50 51.52 *citat et Hildeberto attr. Petrus Cantor, Verbum abbreviatum 54 (P. L. 205. 166)* || **51 3** *Reginaldus Cantuariensis, Vita Malchi VI. 404* angele quo fugiam? tot sunt contraria letis

50 63 *Ovid. trist. V. 4. 33 Hor. ars poet. 475* || **64** *Sallust. Cat. 5. 6* neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat || **51 2** *Ovid. met. IX. 604* || **3** *Terentii Adelphoe 302* tot res repente circumvallant, unde emergi non potest

50 57 preparare **ZP** ed. || **59.60** *om.* **ACPLMR** *post* **61.62** *ponunt* **EI** || **63** simul] semel **APM** simul *corr. in* semel **Z** || *post* **66** *add.* **PR**: absque deo quisquam se vincere si putat ista / quod sibi promittit noverit esse nihil || **51** Beaug. col. 1355, P. L. col. 1430, Hau. p. 113. H. Böhmer, M. G. H., Libelli de lite III. 724. **CKZNPG** *titulum praebet* **G** || **3** tot[2]] quot **C**

5 pax, dos, libertas, reverentia preteriere;
bella, rapina, iugum, contemptus eis subiere.
quos premit et spoliat predonum turba furentum,
extulit et coluit sanctorum cura parentum.
queque sacris patribus risere prioribus annis,
10 flent modo subiecte simonibus atque tirannis.
hi sibi venantes regumque ducumque favorem,
non metuunt in eos legis laxare rigorem.
sic lac et lanas ovium sibi diripientes,
frena lupis laxant, subterfugiuntque silentes.
15 speque lucri simulant scelus atque cavenda licere,
queque licent, quasi non liceant, didicere cavere.
gratia, Christe, tibi, quia nos hoc patre serenas,
qui regat ecclesiam, qui ius, qui iuris habenas;
qui didicit pastor, non mercennarius esse,
20 qui dum raptor adest ovibus non novit abesse;
qui sic errantes revocat, sic servit egenis,
ut sit et his victus, et eis correctio lenis.
illi, quod factis, quod mente, quod ore meretur,
post annos Pilii requies eterna paretur.

52

⟨*De virgine seni nupta*⟩

Virgo seni, generosa novo, prelarga tenaci
iungitur, et differt tempore, gente, manu.

52 *Galfridus de Vino Salvo in arte versificandi II. 3. 73 (ed. Faral p. 298) exempli causa citat distichon* 'est igitur proba iuncta probo, formosa decoro, / callida sensato, religiosa pio' *et Hildeberto*

51 **5.6** *Ovid. met. I. 129, 130* || **7** *Hor. serm. I. 2. 43* || **13** *Vulg. Ezech. 33. 3* || **14** *et* **19** *Vulg. Ioann. 10. 12 sqq.* || **17** *Ovid. ex Ponto II. 1. 19* | *id. trist. IV. 10. 117* || **24** *Ovid. ex Ponto II. 8. 41* | id. *trist. V. 5. 62*

51 **7.8** *om.* **C** || **7** et spoliat] expoliat **NP** expol. vel et spol. **G** || **8** et coluit] excoluit **NP** excol. vel et col. **G** || **9** patribus] ducibus **NP** duc. vel patr. **G** || **11** hi] his **N** hinc **KZ** ed. | sibi] sunt **C** | regum populique fav. **C** || **12** *om.* laxare rigorem **C** || **13** *om.* lac et **C** || **14** subeunt fugiuntque **C** || **16** queq. licent] quae liceant **Z** ed. || **18** iuris] legis **NPG** | qui legum nodos qui iuris novit habenas **C** || **52** Hau. p. 190. discussi apud M. A. R. S. p. 63 **KZM**

53

Epitaphium ⟨*Berthae*⟩

Forma, prole, viris et Odone parente beata,
hac scrobe Berta iacet, Cesare digna viro.
consulibus nupsit, totidem paritura, duobus,
vultu restaurans et probitate patres.
quam licet in vetitum res, sexus, forma vocarent, 5
non tamen in vetitum femina flexit iter.
que pietate Deo, que grata pudore maritis,
egit ne livor carpere posset eam.
tecto, veste, cibo, potu recreavit egentes,
ecclesiis aurum, pallia, vasa dedit. 10
Aprilis duodena dies hanc abstulit orbi,
premissis opibus, mente manuque polo.

54

Ad episcopum Baiocensem

Anulus hic nuper merebat clausus in arca,
obscurusque lapis et quasi tristis erat.
at postquam dixi: 'Baiocas ibis, erisque
maioris, digitum presulis orbe ligans,'
letior explicuit radios, sparsitque serenas 5
gemma faces, oculis exhilerata tuis.
hoc ex te domino pretium lucratur, adesque
plus lapidi presul, quam lapis ipse sibi.

attrib. possunt versus ultimi esse poematis longioris cuiusdam, cuius initium est hoc poema 52. sed Alex. Neckam eosdem versus quos codices, i. e. 'virgo . . . manu' *citat (De natura rerum c. 39, ed. Wright) et eos Hildeberti esse affirmat.*

54 *Ratio poematis derivatur ab Ovidii amorum libro II. 15* || **4** *Ovid. amor. II. 15. 20* || **7.8** *id. ibid. 5*

53 Hau. p. 190. discussi apud M. A. R. S. p. 66. obiit Bertha anno 1085, cf. praef. XXXII. **ZHNG** *titulum praebet* **G** || **1** beato **H** || **4** instaurans **G** || **12** prae missis Hau. || **54** Beaug. col. 1333, P. L. col. 1407, Hau. p. 52. discussi apud M. A. R. S. p. 66 anulum fortasse dedit Hildebertus Odoni Baiocensi episcopo, cf. praef. XXXII. **Z** *titulum praebet* **T** || **1** merebat clausus] solus plorabat **Z** || **3** at] sed **Z** plusquam **Z** || **7** adestque ed. | nec mirum de te, *om.* domino **Z**

55

De sancta Trinitate

Alpha et Ω, magne Deus,
heli, heli, Deus meus,
cuius virtus totum posse,
cuius sensus totum nosse,
5 cuius esse summum bonum,
cuius opus quicquid bonum.
super cuncta, subter cuncta,
extra cuncta, intra cuncta.
intra cuncta, nec inclusus,
10 extra cuncta, nec exclusus;

55 *Materia vv. 35–94 ducitur a symbolo Athanasii, sed quis sit fons vv. 1–34 ignoro. ausim coniectare Hildebertum commentario nescio quo super symbolum usum esse.* || **9.10** *commentarium s. Brunoni Herbipolensi ascriptum (apud P. L. 142. 563)* ipse est intra omnia et non conclusus; extra omnia et non exclusus

55 Beaug. col. 1337, P. L. col. 1411, Hau. pp. 72–76. Hommey p. 446; J. Ussher, De Symbolis apud Opera, ed. Elrington, Dublini 1847, VII. 339; P. Labbeus, Thesaurus epitaphiorum, Parisiis 1666, 178–184; Jonas propheta, Sebastiano Castalione auctore, excudeb. successores A. Anderson, Edinburgi 1696, 29; R. C. Trench, Sacred Latin Poetry, Londini 1849, 304; F. J. Mone, Lateinische Hymnen des Mittelalters, Friburgi 1853, I. 14; G. M. Dreves et C. Blume, Analecta Hymnica 50, 409 unde eorundem Ein Jahrtausend lat. Hymnendichtung, Lipsiae 1909, 213; (editiones sub nomine Abaelardi) E. Martene et M. Durand, Veterum scriptorum amplissima collectio, Parisiis 1732; V. Cousin, P. Abaelardi Opera, Parisiis 1849, I. 331; (editiones versioni Anglicae coniunctae) G. Crashaw, Manuale Catholicorum, Londini 1616, 1–28 (inter paginam nonam decimamque poema aliud intercalatur); J. Mason Neale, Hierologus, Londini 1843; id., Hymns on the joys and glories of Paradise, ibid. 1865; Erastus C. Benedict, The hymn of Hildebert and other medieval hymns, Novi Eboraci 1867. discussi apud M. A. R. S. p. 66–68 **ZEP** Dr. = Dreves, Analecta Hymnica 50. 409 *titulum praebet* **P** || **2** meus deus **E** || **9** nec] non Dr. || **10** nec] non Dr.

subter cuncta, nec substratus,
super cuncta, nec elatus.
super totus presidendo,
subter totus sustinendo,
extra totus complectendo, 15
intra totus es implendo.
intra nusquam coartaris,
extra nusquam dilataris,
subter nullo fatigaris,
super nullo sustentaris. 20
mundum movens non moveris;
locum tenens non teneris;
tempus mutans non mutaris;
vaga firmans non vagaris.
vis externa vel necesse 25
non alternat tuum esse.
heri nostrum, cras et pridem,
semper tibi nunc et idem;
tuum, Deus, hodiernum,
indivisum, sempiternum. 30
in hoc totum previdisti,
totum simul perfecisti,
ad exemplar summe mentis,
formam prestans elementis.

Nate, Patri coequalis, 35
Patri consubstantialis;

55 27 *citat commentator in Grani sinapis cap. nonum (ed. a M. Bindschedler, Basiliae 1949, 46)*

55 13–16 *commentarius quem ex cod. Trecensi no. 804 in medium protulit Georg. Ommaney apud dissertationem super symbolum Athanasii, p. 499* est enim mundo superior, inferior, exterior et interior; regendo superior, portando inferior, circumdando exterior, replendo interior || **27** *Vulg. Hebr. 13. 8* Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula || **33. 34** *Boethius, Phil. Cons. III carm. 9, 8* || **35** *symbolum Athanasii v. 26 (textum symboli quo sum usus invenies apud The Athanasian Creed, a revised translation, Lond., anno 1918 a S. P. C. K. excussum)* sed totae tres personae coaeternae sibi sunt: et coaequales || **36** *symbolum Nicaenum* consubstantialem Patri

55 11 *post* **12** *ponunt* Z ed. Dr. || **19** *post* **20** *ponunt* ed. Dr.

Patris splendor et figura,
factor factus creatura;
carnem nostram induisti,
40 causam nostram suscepisti.
sempiternus, temporalis,
moriturus, immortalis,
verus homo, verus Deus,
impermixtus homo Deus.
45 non conversus hic in carnem,
nec minutus propter carnem;
hic assumptus est in Deum,
nec consumptus propter Deum.
Patri compar deitate,
50 minor carnis veritate.
Deus pater tantum Dei:
virgo mater sed et Dei.
in tam nova ligatura
sic utraque stat natura
55 ut conservet quicquid erat,
facta quiddam quod non erat.
noster iste mediator,
iste noster legislator,
circumcisus, baptizatus,
60 crucifixus, tumulatus,
obdormivit et descendit,
resurrexit et ascendit.

55 **37** *Vulg. Hebr. 1. 3* qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius || **38** *Aug. serm. 279. 8 (P. L. 38. 1279)* ille factor factus, ille creator creatus || **41. 42** *sym. A. 31* Deus est . . . ante saecula genitus . . . et homo est . . . in saeculo natus || **43** *sym. A. 32* perfectus Deus: perfectus homo. *cf. illud Nicaeni* Deum verum de Deo vero || **45—48** *Aug. epist. 170. 9* homo enim adsumptus est a Deo, non in homine consumptus est Deus || **49. 50** *sym. A. 33* aequalis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem || **56** *Tertull., de carne Christi 3. 4* amittens quod erat, dum fit quod non erat || **58** *Vulg. Iac. 4. 12* unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare

55 **44** *post* **45** *ponit* **E** || **47** es **EP** || **48** nec] non Dr. || **52** sed et] est sed **Z** ed. || **58** noster iste **P** noster isti **E** | legis dator **Z** ed.

sic ad celos elevatus,
iudicabit iudicatus.

Paraclitus increatus, 65
neque factus neque natus,
Patri consors Genitoque,
sic procedit ab utroque,
ne sit minor potestate,
vel discretus qualitate. 70
quanti illi, tantus iste;
quales illi, talis iste.
ex quo illi, extunc iste;
quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo, 75
Natus alter, sed nascendo,
flamen ab his procedendo;
tres sunt unum subsistendo.
quisque trium plenus Deus:
non tres tamen di, sed Deus. 80
in hoc Deo, Deo vero,
tres et unum assevero,
dans usie unitatem,
et personis trinitatem.
in personis nulla prior, 85
nulla minor, nulla maior.
unaqueque semper ipsa,
sic est constans atque fixa,
ut nec in se varietur,
nec in ullam transmutetur. 90

55 65 *sym. A. 8* increatus spiritus sanctus || **65. 66. 68** *sym. A. 23* spiritus sanctus . . . non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens || **71.72** *sym. A. 7* qualis Pater, talis Filius: talis et spiritus sanctus || **80** *sym. A. 16* et tamen non tres dii: sed unus Deus || **83. 84** *sym. A. 3* ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur || **85. 86** *sym. A. 25* et in hac trinitate nihil prius aut posterius; nihil maius aut minus

55 73. 74 *om.* **Z** ed. || **74** *om.* Dr. || **90** in ullam] in nullam **EZ** in ulla ed.

hec est fides orthodoxa;
non hic error sine noxa.
sicut dico, sic et credo,
nec in pravam partem cedo.

95 Inde venit, bone Deus,
ne desperem, quamvis reus.
reus mortis non despero,
sed in morte vitam quero.
quo te placem nil pretendo,
100 nisi fidem quam defendo.
fidem vides: hac imploro,
leva fascem qua laboro.
per hoc sacrum cataplasma,
convalescat egrum plasma.

105 Extra portam iam delatum,
iam fetentem, tumulatum,
vitta ligat, lapis urget,
sed si iubes, hic resurget.
iube: lapis revolvetur;
110 iube: vitta disrumpetur.
exiturus nescit moras,
postquam clamas 'exi foras.'

In hoc salo mea ratis
infestatur a piratis.
115 hinc assultus, inde fluctus;
hinc et inde mors et luctus.
sed tu, bone nauta, veni.
preme ventos, mare leni.
fac abscedant hi pirate;
120 duc ad portum salva rate.

55 **91** *sym. A. 3* fides autem catholica haec est || **105–112** *Vulg. Luc. 7. 11–15, Ioann. 11. 38–44* || **115–120** *Vulg. Matth. 8. 23–27, sed nescio unde figuram piratarum traxerit poeta noster*

55 **92** sine] sive Dr. || **94** partem pravam Dr. || **101** hac] hanc **Z** ed. || **102** qua] quo **Z** ed. || **118** preme] pro me Dr.

Infecunda mea ficus,
cuius ramus ramus siccus.
incidetur, incendetur,
si promulgas quod meretur.
sed hoc anno dimittatur, 125
stercoretur, fodiatur;
quod si necdum respondebit,
flens hec loquor, tunc ardebit.

Vetus hostis in me furit,
aquis mersat, flammis urit. 130
inde languens et afflictus
tibi soli sum relictus.
ut hic hostis evanescat,
ut infirmus convalescat,
tu virtutem ieiunandi 135
des infirmo, des orandi.
per hec duo, Christo teste,
liberabor ab hac peste.

Ab hac peste solve mentem,
fac devotum, penitentem. 140
da timorem, quo proiecto,
de salute nil coniecto.
da spem, fidem, caritatem,
da discretam pietatem;
da contemptum terrenorum, 145
appetitum supernorum.

Totum, Deus, in te spero:
Deus, ex te totum quero.
tu laus mea, meum bonum,
mea cuncta tuum donum. 150

55 **121–128** *Vulg. Luc. 13. 6–9* || **130** *Vulg. Marc. 9. 21* || **132** 'tibi soli' *spectat ad eandem narrationem. Christus enim solus puerum sanare potuit.* || **143** *Vulg. I. Cor. 13. 13* nunc autem manent fides, spes, caritas

55 **124** quod] que **E** Dr. || **128** hec] hoc **EZ** ed. || **133** *post* **134** *ponunt* **Z** ed.

tu solamen in labore,
medicamen in languore;
tu in luctu mea lyra,
tu lenimen es in ira;
155 tu in arto liberator,
tu in lapsu relevator.
metum prestas in provectu,
spem conservas in defectu.
si quis ledit, tu rependis,
160 si minatur, tu defendis.
quod est anceps tu dissolvis,
quod tegendum tu involvis.

Tu intrare me non sinas
infernales officinas,
165 ubi meror, ubi metus,
ubi fetor, ubi fletus;
ubi probra deteguntur,
ubi rei confunduntur;
ubi tortor semper cedens,
170 ubi vermis semper edens;
ubi totum hoc perenne,
quia perpes mors Gehenne.

Me receptet Syon illa,
Syon David urbs tranquilla;
175 cuius faber auctor lucis,
cuius porte lignum crucis;
cuius claves lingua Petri,
cuius cives semper leti;
cuius muri lapis vivus,
180 cuius custos rex festivus.

55 151.154 *Hor. c. I. 32. 14* testudo laborum dulce lenimen || **165.166** *Petri Damiani carm. 225 (apud P. L. 145. 980) 25, 26* illic dolor cruciatus / fletus stridor dentium || **170** *id. ibid. 23* vermes nunquam satiantur || **173** *id. carm. 226* ('Ad perennis vitae fontem') *109–111* Christe palma bellatorum / hoc in municipium / introduc me post solutum || **179** *Vulg. Apoc. 21. 18* et erat structura muri eius ex lapide iaspide

55 157 metum] motum **Z** ed. | praestans Dr. || **158** conservans **P** Dr. || **172** quia] quasi **EZ**

in hac urbe lux solennis,
ver eternum, pax perennis;
in hac odor implens celos,
in hac semper festum melos.
non est ibi corruptela, 185
non defectus, non querela;
non minuti, non deformes:
omnes Christo sunt conformes.
urbs celestis, urbs beata,
supra petram collocata; 190
urbs in portu satis tuto,
de longinquo te saluto.

Te saluto, te suspiro,
te affecto, te requiro.
quantum tui gratulentur, 195
quam festive conviventur,
quis affectus eos stringat,
aut que gemma muros pingat,
quis calcedon, quis iacinctus,
norunt illi qui sunt intus. 200
in plateis huius urbis,
sociatus piis turbis,
cum Moyse et Elia
pium cantem alleluya.

55 191.192 *Bern. Clun. I. 337, 8* urbs Sion inclyta, patria condita littore tuto, / te peto, te colo, te flagro, te volo, canto, saluto || **195–200** *citat Ric. de s. Victore, serm. 83 (P. L. 177. 1164)*

55 181 *ibid. 21. 10, 11* civitatem . . . habentem claritatem Dei || **182** *Petri Damiani carm. 226, 27, 28* flos purpureus rosarum / ver agit perpetuum || **184** *id. ibid. 97, 98* novas semper harmonias / vox meloda concrepat || **185** *id. ibid. 70* corruptela corruit || **200** *id. ibid. 7, 8* nam quis promat summae pacis / quanta sit laetitia || **201** *Vulg. Apoc. 21. 21* et platea civitatis aurum mundum

55 184 festum semper Dr. || **186** non[2]] nec Dr. || **189.190** *om.* P || **190** super ed. || **196** convivantur E ed.

56

⟨*Epitaphium Willelmi de Ros*⟩

Pauperibus locuples, et sacri nominis abbas,
  Willelmus solo corpore cultor humi;
liber ab Egipto rediens deserta reliquit,
  iamque Ierosolimam victor ovansque tenet.
5 cum vitiis odium, cum moribus ille perennem
  pactus amicitiam: firmus utroque fuit.
luce gravi nimium que sexta preibat Aprilem
  redditus est patrie spiritus, ossa solo.

57

Versus de horis cottidianis

In matutino damnatur tempore Christus,
quo matutini cantantur tempore psalmi.
quando resurrexit primam canit ordo fidelis:
tertia cum canitur tunc est cruciamina passus.
5 sexta sunt tenebre per mundi climata facte.
redditus est nona divinus spiritus hora.
vespere clauduntur Christi sacra membra sepulcro.
Christo bis sena custodia ponitur hora.

Supplementum poematum quae forte sunt Hildeberti, forte spuria

1 (*Misc.* 51)

Sol, cristallus, aqua dant qualemcunque figuram
  virginei partus, edificantque fidem.

56 P. L. col. 1398, Hau. p. 156. hoc epitaphium Willelmi de Ros Hildebertum composuisse affirmat Ordericus Vitalis, Hist. Eccles. lib. XI cap. 30. non exstat in codicibus qui poemata Hildeberti exhibent. adhibui codicem Orderici Parisiensem Bibl. Nat. lat. 10913, fol. 288. || **57** Jaffé, Bibliotheca Rerum Germanicarum, Berolini 1869, V. 460. discussi apud M. A. R. S. pp. 68, 69 **FGR** *titulum praebet* **G** || **6** redditus est] est missus **R** || **Suppl. 1** Beaug. col. 1332, P. L. col. 1406, Hau. p. 47. Hommey p. 460. discussi apud M. A. R. S. pp. 70, 71 **MH** = Hommey

si tingatur aquis et soli subiciatur,
scintillas profert integer ille lapis.
si bene cuncta notes aqua, sol, cristallus et ignis 5
sunt flamen, verbum, virgo, Deusque puer.
flamen aque, verbum soli, virguncula gemme,
stirps igni quadam condicione coit.
flamen aqua est quia lavit eam, verbumque supernum
sol quia non violat et tamen intrat eam. 10
virgo lapis, quia virgo parit, puer exprimit ignem,
nam virtute micat, lumine corda replet.
sic umbra flamen, ingressu celibe verbum,
virgo fide, suboles carne Deoque simul
conficiunt cataplasma novum, quo vita sepultis, 15
virtuti merces, moribus ordo redit.
hoc aperit tumulos, hoc agmina sacra refundit,
hoc supplet casum, terra, Gehenna, polus.
ad celos hinc subsilient cinis, ossa, medulle:
hoc animam carni reddet, utrique Deum. 20

2 (*Misc.* 130)

Clauditur integra lux viginti quattuor horis.
obsequio Domini septem sacrantur earum.
horam qua primum solaris spera videtur
astruimus primam. sol factus in hac positusque
in celo, nobis diversos exhibet usus. 5
hac hora Domino, qui tanta lampade mundum
illustrat, laus est reddenda, deinde precandum
ne scelerum tenebris obvolvi nos patiatur.
tertia multimodo sublimis lumine fulget:
hac est factus homo, data lex vetus, hac sinagoga 10
ore Redemptorem crucifixit, spiritus almus
discipulos docuit. hora qua cepimus esse
vas figulum laudet, studeatque precando mereri,

Suppl. 1 4 prefert **H** ed. || **9** quia] quod **H** || **11** exprimit] unicus ed. | quia] quod **H** || **14** fide] fiet ed. || **17** refudit **M** || **19** subsiliens **M** | medulla **H** || **20** omnia nunc carni **M** || **2** Beaug. col. 1362, P. L. col. 1438, Hau. p. 126. discussi apud M. A. R. S. pp. 71, 72 **A** || **9** lumine] munere **A**

ne veterem sapiat, sed eum circumferat Adam.
15 qui preiudicium tunc pertulit, oret adesse
adversum vitiis et amicum moribus ignem.
in sexta deliquit homo, tulit in cruce Christus,
in genus humanum furit hostis meridianus.
quisquis es, hac hora crucifixi morte redemptus,
20 munere pro tanto premissis laudibus ores
ne draco, nactus in hac de primo patre triumphum,
te sibi susternat, sed agat Deus hostia factus,
ne carni cedas aut hosti meridiano.
exiit in nona reus homo de paradiso;
25 in nona Christus animam dedit, atque fideles
in tenebris, ut eos reduceret inde, revisit.
spe factus consors tam lete sortis, eorum
laudibus instet homo, reditum roget ad paradisum,
qui clausus nona, nona ⟨quandoquĕ⟩ patebit.
30 lunam cum summa stellarum vespere factam,
et firmamento positam scriptura recenset.
glorificetur in his tam multi luminis auctor,
qui variis facibus et celi lumina pinxit,
et noctis tenebras ut oportuit irradiavit.
35 vesper erat cum iam miser addictusque labori
occasum solis, quem numquam viderat, Adam
obstupuit, tenebrasque timens orasse refertur,
ne divina sibi solatia forte deessent.
is quoque qui iactat se sacro fonte renatum
40 laudibus exhibitis et mente precetur et ore,
ne sol iustitie super illius occidat ausus
complete: non est prefixum tempus in illa.
laudandus tamen est Dominus votisque petendum,
ut quod peccavit transacto quisque diurno
45 gratia dimittat, eadem quoque gratia prestet,
ne requiem noctis Sathan aut fantasmata rumpant.
diluvium media prorupit nocte, gerensque
baptismi formam scelerum contagia lavit.
hac Moyses hora, merso Pharaone suisque,

Suppl. 2 **29** qui clausus nona fuit nona et pa **A** qui clausus nona est et tunc nonaque patebit ed. || **30** luna **A** ed. || **34** noctis] celi ed.

transiit exultans rubrum mare, David ad ymnos 50
surrexit, pravos a iustis dividet ignis.
nobis exemplum, miseratio, iudiciumque
pretenduntur in his, quibus ad meliora vocemur.
David opus precis exemplum; miseratio ductus
inter aquas Moyses; sententia iudicialis 55
fluctibus involvi vel plecti, iudice Christo.
auctori rerum laus exhibeatur in istis,
qui facit ut nobis operentur ista salutem.
erudit exemplum, veniam miseratio prestat,
iudicium terret. memor horum quisque fidelis 60
ad laudes Domini prescripto tempore surgat,
laudibus et votis querens evadere noctem,
qua circumfuso spes est ablata salutis.

3 (*Hau.* 5)

Conquerar an sileam? monstrabo crimen amice,
an quasi iam sanus vulnera nostra tegam?
non queror aut molles oculos aut aspera crura;
nec vitio quovis exteriora premo.
quod queror est animi, laudaret cetera livor: 5
verba fide, vitiis lubrica forma caret.
illa decem menses mecum feliciter egit,
gratis in amplexus docta venire meos.
emulus ecce meus, gemmis male fisus et auro,
hanc petit, ingeminat munera, flectit eam. 10
muneribus vicit, quoniam natura vel usus
preter flagitium nulla dedere sibi.
Thersiten gerit in facie, gerit intus Oresten:
pulcrior iste tamen, mitior ille fuit.
non prius incurrit leviores ille reatus, 15
nec gradibus certis destitit esse bonus,
sed simul omne nefas auso puerilibus annis

Suppl. 2 60 horum] hiis **A** || **3** Hau. p. 181. Poet. Lat. Min. V. 76; A. L. I. ii. 271 discussi apud M. A. R. S. pp. 72—74. Bae. = Baehrens, Poet. Lat. Min. (textum a Riese apud A. L. confectum mendis plurimis plenum neglexi.) || **4** nec] non Hau. || **5** laudarit **Bae.** || **10** petit] adit Hau. || **14** ille ... iste Hau. || **17** ausus Hau.

iam preter facinus nulla licere putat.
turpis atrox exlex, nature crimen et hostis
20 in luctu ridet, flet nisi flenda videt.
sufficit exemplis totum corrumpere mundum;
sufficiunt sceleri nomina nulla suo.
quippe tot illicitis famam lacerare laborat,
ut nulla redimi laude vel arte queat.
25 cur igitur placuit? quid honesti vidit in illo
quem iam nulla sequi preter honesta pudet?
cur inquam placuit? dignusne placere puellis
qui non exilio, sed cruce dignus erat;
lapsus in excessus tantos ut nulla putaret
30 deteriora fide vel potiora dolis?
cur placuit lethale nefas, cur dedecus orbis,
cur tam terribilis larva pudorque patris?
qui non tam locuples rebus quam pauper honesto,
et minus informis quam vitiosus erat.
35 crimen opes redimunt, reus est crucis omnis egenus,
et laudes hominum pensat acervus opum.
hic quoque nec vita, nec nobilitate parentum,
nec specie placuit, sed quia dives erat.
divitiis animum tenere turbavit amice,
40 divitiisque patent ostia, crura, sinus.
iam nec pura fides, nec largi gloria sensus,
nec probitas morum, nec bona forma iuvat.
aurum, sinceras solitum pervertere mentes,
mortales animos in scelus omne vocat.
45 aurum dum speret nil iam negat Hectoris uxor;
iam populo iungi sustinet asse dato.
dona truces animos et verba severa relaxant:
Penelope donis altera Thais erit.
sed iam Thais erit Iunone severior ipsa,
50 si nullas habeat pulcer amator opes.
vos igitur iuvenes, quos nondum fervor amoris
attigit, illarum laudo cavere dolos.

Suppl. 8 27 inquam] igitur Hau. || **28** exitio **Bae.** | erat] eat **Bae.** || **34** infamis Hau. || **45** sperat Hau. || **47** animas Hau.

nam licet uratur, tamen in complexibus ipsis
queque salitores querit habere novos.
Protea multiplicem solet ars retinere, sed illas 55
quin elabantur ars retinere nequit.

4 (*Hau.* 17)

Nullus amicorum posset meliora monere
quam tu, quo moneor parcere cervisie.
cum bibo cervisiam nihil est turbatius illa,
sed cum mingo nihil clarius esse potest.
terreor inde nimis, quoniam que spissa bibuntur 5
reddita clara gravi viscera fece replent.

5 (*Hau.* 30)

Indicat hic venter quia tu tibi non es avarus:
at mihi sic numquam prodigus esse volo.

Suppl. 3 53 iam Hau. || **55** solet] valet Hau. sciet **Bae.** || 4 Hau. p. 193. Pressel p. 408; W. Wattenbach, Anzeiger, 1876, 80. discussi apud M. A. R. S. p. 72–74 **HNR** || **2** quo] cum **N** || **5** quoniam que] cum qualia **N** || **5** Hau. p. 206. A. Boutemy, Revue Belge 17, 1938, 737. discussi apud M. A. R. S. p. 74. **AR** || **1** quod Hau.

INDEX GRAMMATICVS
AD CARMINA MINORA

Hildebertus scripsit versus 3021 (carmina minora 1098, epigrammata biblica 413, versus de mysterio missae 608, vita s. Mariae 902). haec editio carmina minora complectitur, materia alia in futurum reservata. quapropter incertus sum an utilis sit hic index, qui usum Hildeberti imperfecte illustret. nam poematum minorum stilus minus discrepat a stilo scriptorum veterum Romanorum, atque vix redolet Latinitatem medii aevi. alia tamen poemata, et praecipue vita s. Mariae, quamquam satis eleganter scripta sunt, locutiones et verborum constructiones praebent quas non videmus nisi apud medii aevi scriptores.

I. FORMAE

a nomina

Nomina Iudaica quae declinationem patiuntur declinat poeta noster. alia, quae carent terminatione, sunt: David, Noe 21. 5; Ysaac, Iacob, Rachel 39 III. 10, 12; Melchisedech 39 IV. 1; Iezabel 49. 19; *nomina filiorum Israel* 42 *passim. nominibus Graecis dat plerumque terminationem Graecam, e. g.* Protea *(casus accus.)* 28. 3; Dane *(casus nomin.)* 50. 47. *sed nota* Yantem 32. 1.

Persona singularis sensum exprimit collectivum: numerosus amicus 22. 9; multa domus 33. 2; plurima vitis 39. III. 19. *cf. H. Christensen, Das Alexanderlied Walters von Châtillon, Halle 1905, 39.*

b pronomina

Usum proprium pronominum is, ille, iste, ipse *parum accurate distinguit.*

is *pro* ille *ponitur* 39 IV. 12
ille *pro* is *ponitur* 22. 69
iste *pro* is *ponitur* 45. 9

se, suus *pro* is, eius *ponitur* 18. 51, 52; 50. 6
possessivum per proprius *exprimitur* 5. 2; 22. 24

c verba

Confusio coniugationum: gubernet *pro* gubernabit *ponit* 37. 13
confusio temporum: imperfectum ponit pro perfecto 23. 4 *(cf. etiam syntactica). infinitivum vim substantivi assumpsit* habere 17. 14; posse 50. 54; esse 55. 5, 26

formae contractae per syncopen 49. 1, 2, 11, 12
formae contractae per synizesin adit 28. 8; perisse, redisse 39 IV. 35, 36; adisti 49. 26
fui *pro* sum *positus* factus fuit 18. 24; fuit querendus 40. 7
forem *pro* essem 30. 8; 40. 8

d praepositiones

absque *pro* sine *utitur* 22. 79
omissio praepositionis praesertim cum sensum locativum exprimit: 18. 38; 22. 67; 24. 4; 35. 15; 42. 5, 11, 13, 17, 21; 53, 2
(Omissionem eandem notat L. Bieler stilum Patricii Dublinensis episcopi depingens, Writings of Bishop Patrick, Script. Lat. Hib. I. 50)

II. SYNTACTICA

conditiones

Coniunctivum pro indicativo ponit 26. 30; 39 IV. 33
indicativum pro coniunctivo ponit 15. 7
imperfectum pro plusquamperfecto ponit 31. 1; 32. 5; 36. 37, 38 (?)

locutiones temporales

Post dum *coniunctivum ponit pro indicativo* 23. 1; 38. 1
post cum *iterativum coniunctivum ponit* 8. 4

mandata

Coniunctivo utitur 1. 2; 16. 1, 4, 6; 35. 26; 55. 136 *(sed usum invenies etiam apud poetas antiquos, cf. Stolz-Schmalz, Lateinische Grammatik, bearbeitet von M. Leumann u. J.B. Hofmann*, Handbuch der Altertumswissenschaft, zweite Abt. zweiter Teil, München 1928, 272)
imperativo utitur 1, 2; 15. 4; 16. 2, 3, 7; 22. 87; 35. 25; 46. 22; 55 *passim*

prohibitiones

Coniunctivo utitur, ne *vel* nec *praemisso* 8. 3; 26. 29, non *praemisso* 55. 163
imperativo utitur, ne *praemisso* 33. 1.

parataxis

ut *omissum* 15. 2; 26. 27; 33. 3; 47. 6; 55. 119

III. RHETORICA

Figurae verborum et sententiarum. his figuris alii alia nomina assignant, quapropter lectores refero ad definitiones auctoris illius incerti ad Herennium (apud editionem Teubnerianam, ed. Marx-Trillitzsch, 1964).

INDEX METRORVM QVIBVS VSVS EST HILDEBERTVS IN POEMATIBVS MINORIBVS

Hexametri 2, 16, 20, 29, 42, 57.

Elegi 1, 4, 5, 7, 8, 9, 11, 15, 17, 18, 19, 21, 22, 23, 24, 26, 27, 28, 30, 33, 35, 36, 37, 38, 41, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 50, 52, 53, 54, 56.

Versus leonini 10, 25, 34.

Elegi leonini 6, 12, 13, 14.

Caudati 3, 31, 32, 40, 49, 51.

Versus rhythmici syllabarum octo (8 /◡) 55

Poema 39 exhibet schema varium metrorum videlicet:

pars I: versus rhythmici syllabarum quindecim (8 /◡ + 7 ◡/ vel 15 ◡/, cf. Meyer I. 204).

pars II: vv. 1–4 hexametri sine concinnitate; vv. 5, 6 trinini salientes aab / ccb, Meyer classis III (A) 5. 2, p. 87; vv. 7–14 caudati; vv. 15, 16 trinini salientes; vv. 17–20 caudati.

pars III: vv. 1–7 hexametri sine concinnitate; vv. 8–41 caudati.

pars IV: vv. 1–36 caudati.

INDEX NOMINVM

(Asterisco designo personam ad quem poema dirigitur, cruce epitaphium noto.)

INDEX VERBORVM MEMORABILIVM

CONCORDANTIA NVMERORVM POEMATVM IN EDITIONIBVS PRIORIBVS ATQVE IN HAC EDITIONE MEA

1 misc. 54
2 Hau. 4
3 misc. 121
4 misc. 139
5 misc. 58
6 Hau. 26
7 Hau. 6
8 ind. 13
9 Hau. 7
10 Hau. 27
11 Hau. 28
12 misc. 55
13 misc. 56
14 misc. 140
15 ind. 2
16 misc. 59
17 misc. 60
18 misc. 40
19 ind. 14
20 misc. 106
21 misc. 81[2]
22 misc. 75
23 ind. 11
24 Hau. 2
25 misc. 61
26 ind. 7
27 Hau. 29
28 misc. 45
29 misc. 46
30 Hau. 14
31 Hau. 20
32 Hau. 1
33 Hau. 8
34 misc. 122
35 misc. 62
36 misc. 63
37 ind. 4
38 misc. 64
39 misc. 79
40 misc. 52
41 Hau. 22
42 misc. 128
43 misc. 112
44 Hau. 11
45 poema inc. 'Tollimur', apud ed. Beaug. col. 1149, apud P. L. col. 1192 D.
46 ind. 3
47 misc. 107
48 Hau. 3
49 misc. 28
50 misc. 110
51 misc. 111
52 Hau. 12
53 Hau. 13
54 misc. 57
55 misc. 71
56 misc. 43
57 poema inc. 'In matutino' non repertum in editionibus.

SVPPLEMENTVM

1 misc. 51
2 misc. 130
3 Hau. 5
4 Hau. 17
5 Hau. 30

INITIA

PRAEFATIO

AD EDITIONEM ALTERAM

Hac in editione stereotypa Hildeberti mei multa addere vel mutare nequivi. Sed addenda et corrigenda infra collegi, et praesertim quae viri docti editionem priorem recensentes ex ingenio plerumque proposuerunt. Lustris sex post editionem confectam intermissis pauci tantum de rebus quae ad poetam nostrum pertinent disputaverunt. Quarum quidem rerum duas praesertim tunc in praefatione mea tractavi eademque nunc dignae sunt quae ab eruditis disceptentur. Et in praefatione editionis et in disputatione in ephemeridis *Mediaeval and Renaissance Studie*s tomo sexto anno 1968 prolata, duas recensiones textus quorundam carminum exstare demonstravi, quibus recensionibus nomina ***α*** et ***φ*** tribui. Has et unam et alteram ad Hildebertum esse referendas, et recensionem ***α*** priorem, recensionem ***φ*** posteriorem esse affirmavi. Argumenta mea videbis inter paginas XXI et XXV editionis exposita.

Sed contra me dixerunt viri doctissimi J. Öberg in recensione et G. Orlandi in disputatione infra citatis. Quorum uterque recensionem ***φ*** priorem, recensionem ***α*** posteriorem esse exaestimavit. Et Öberg quidem affirmavit recensionem ***α*** ineptiorem esse quam quae Hildeberto attribuatur, Orlandi autem pro certo habuit recensionem ***α*** multo limatiorem esse et eam ipsi Hildeberto vindicavit. Locos plures equidem adduxit Öberg (recens. cit. pp. 394,5) ubi iudicavit scriptorem ignotum qui textum recensionis ***α*** confecisset, verba Hildeberti ut facilius intelligerentur et planiora fierent emendavisse. Quorum unus tantum dignus est qui denuo respiciatur. In lin. 81 carminis 22 recensio ***α*** hunc textum exhibet: distinctis idem cursum metitur, et illas; recensio ***φ***: crescendi studium rebus metitur, et illas. Si recensio ***α*** prior sit et Hildeberto vindicanda, quaerendum nobis sit qua re Hildebertus 'illas' scripserit. Nam illud 'dis-

tinctis' formam pluralem neutrius generis exhibere debet, et refert ad 'cuncta ... illa ... facienda' (vv. 79, 80), quae omnia neutrius generis sunt. Hoc in loco textus concedo facilius esse nobis conicere aliquem primam partem versus Hildeberti emendavisse, sed secunda in parte formam femininam 'illas' in 'illa' mutare inepte neglexisse.

Itaque non infitias eo hunc versum impedimento esse mihi recensionem *α* esse priorem affirmanti. Sed iudicium nostrum de his recensionibus uno in loco textus versetur nolim, et adhuc propensior sum in meam sententiam pristinam, scilicet recensionem *α* esse priorem. Hoc quidem retracto, quod dixi (praef. p. XIV) codices omnes, D B T A C Ko He exceptis, recensionem *φ* exhibere. Nam plures sunt codices qui unum vel duo carmina Hildeberti continent, et ideo excluduntur a repertorio codicum praecipuorum inter pp. VII et XIV praefationis enumeratorum, qui tamen rexcensionem *α* in textu poematum exhibent. Denique, ut mihi videtur, haec controversia de recensionibus nondum ad plenum expedita est. Mentem quidem auctoris qui saeculo praeterito vixit difficile est scrutari et fortasse non est humanae scientiae. Quod si quis poterit hanc quaestionem plane expedire, de poeta nostro bene merebit. Ista enim disceptatio de recensionibus etiam ad alteram maxime pertinet, quae versatur in componendo, ut ita dicam, canonem carminum quae Hildeberto esse vindicanda iudicamus. Nam si recensio *α* sit posterior, recensio *φ* prior, et praesertim si recensio *α* a scriptore quodam ignoto originem duxerit, codices qui recensionem illam exhibent auctoritatem minorem habere debeant. Quod si hoc probes, dicere possis decem carmina, quae his in codicibus solis inveniantur reicienda esse et alii auctori vindicanda.

Quod attinet ad decernendum quae carmina Hildeberti sint, quae auctorum aliorum, nonnulli meam editionem recensentes me nimium nisum esse auctoritate codicum, parum investigavisse stilum Hildeberti crediderunt. Sed, cum editionem conficerem, arbitratus sum inutile esse mihi quasi formam stili Hildeberti creare cui stilus aliorum carminum compararetur ad decernendum utrum scripta essent ab eo necne. Nam carmina quae Hildeberto pro certo attribuere possumus rariora et breviora sunt quam quae nobis formam talem stili

praebeant; praesertim cum nonnulla quae scripsit de fide Christiana vel de ordine rituque missae (e.g. carm. 39) stilum aliquanto diversum exhibeant. Imprimis nolui vestigia sequi viri eruditissimi B. Hauréau, qui carmina quae sibi elegantia atque limata esse viderentur Hildebertum habere auctorem, quae minus polita aliis auctoribus esse assignanda iudicavit. Triginta fere annis iam praeteritis adhuc sum hac in sententia. Ac tamen facile patior artem computatoriam iam adeo provectam esse ut huius artis peritis versus admodum pauci ad illam formam stili instituendam fortasse sufficiant, quae nobis melius decernere permittat num alia carmina auctori nostro sint vindicanda.

Pro mea parte hoc tantum conatus sum: editionem carminum conficere quae usui sit viris eruditis, quo plenius discant quales fuerint sententiae Hildeberti vel qua arte usus sit in versibus.

Benchori Hibernensis, mense Novembri MMI A.B.S.

CODICES

Codices qui aliquot carmina Hildeberti continent, sed quos in codicibus praecipuis apud pp. VIII–XIV perscriptis non adnumeravi.

Austria

Admontensis monasterii (Admont)	128	s. xiii	(fol. 65) B.E. 66 (fol. 83) De Mysterio Misse, 45, B.E. 67, 57 (fol. 100^{v}) Supp. 1 (cf. J. Strohlmann, Mittellatein. Jahrbuch 11, 1976, 53–91).
Chremissae monasterii (Krems)	149	s. xv	(fol. 276) 50, 22.
Graciae, bibl. universitatis (Graz)	171	s. xii	(fol. 1^{v}) 40 (fol. 119^{v}) 21
	182	s. xiv^{1}	(fol. 5^{v}) 55.
	245	s. xiv	(fol. 44^{v}) 34.
	665	s. xv	(fol. 204^{v}) 34, 57.
	749	s. xiii	(fol. 128) 2.
	1141	s. xv^{2}	(fol. 15^{v}) 5.
	1545	s. xii/xiii	(fol. 1^{v}) 40.
	2450	s. xiv	(fol. 44^{v}) 34.
Reunensis monasterii (Reun)	35	s. xii	(fol. 136^{v}) 39 IV.
Salisburgi mon. S. Petri (Salzburg)	a.V. 32	s. xii	(fol. 1^{v}) 40.
	a. VI. 28	s. xii	(fol. 32^{v}) De Mysterio Misse, 45, 39 IV, II, 21, 34, 40 . . . Vita Mariae Aegypt.
Schlaeglensis mon. (Schlaegl)	117	s. xv	(fol. 80^{v}) 19.

Vindobonae, bibl. nat. (Wien)

609 s. xiii (fol. 37^{v}) 38, 36.

898 s. xiv/xv (fol. 1) 55 (fol. 28) Vita Mariae Aegypt. (fol. 50) De Mysterio Misse (fol. 62^{v}) 39 IV, II, 40, 45 (fol. 66) Hau. 32, versus inc.: Illud supplicium (Walther no. 8736); (fol. 68) B.E. 68, B.E. 67 (fol. 73^{v}) 51, 22 . . . (fol. 77^{v}) 50 (fol. 79) De nummo, inc.: In terra summus (Walther no. 9133).

901 s. xiii (fol. 53^{v}) 16 (fol. 57) 36 (fol. 61^{v}) B.E. 67.

1565 s. xiii (fol. 125) 39 IV, 45, versus inc.: ligna voluptatis (Walther no. 10316), 40, 21, versus inc.: Qui veteres renovare (Walther no. 15729), 57.

1637 s. xiii (fol. 248^{v}) 34, B.E. 67 . . . 40.

2442 s. xiii (fol. 182) 39 IV.

4012 s. xv (fol. 4^{v}) 23.

13584 s. xv (fol. 43) 7, 17.

ser. novae 2459 s. xiii/xiv (fol. 47^{v}) 34.

ser. novae 3633 s. xiii (fol. 2) 20, versus inc.: mors servum domino.

Voraviensis mon. (Vorau)

33 s. xii (fol. 52) Misc. 68, 16, 17 (imperf.) (fol. 59) 52, 22 (fol. 71^{v}) 25

335 s. xiii^{2} (fol. 143) 40, 21.

374 s. xiii (fol. 127^{v}) 57.

379 s. xv (fol. 10^{v}) 45, 17.

Regnum Belgarum

Brugis Flandrorum, bibl. publ. (Brugge)

83 s. xii (fol. 5) 45.

Bruxellis, bibl. regalis (Bruxelles)

364 (5576–5604) s. xii (fol. 165v) 18.

1435 (II.1019) s. xii^{2} (fol. 121^{v}) 25 (fol. 122) De Mysterio Misse, 45 (126^{v})

	Hau. 30 . . . 21 . . . 23, Misc. 123 . . . 22, 17, Misc. 132, 20 (cf. A. Boutemy, Revue Belge 17, 1938, 728–746).
	1327 (9799–9809) s. xii (fol. 129) Supp. 5.
Gandavi, bibl. universitatis (olim publicae) (Gand)	296 s. xv (fol. 1) 36.
Montibus in Hanonia, bibl. univ. (olim publicae) (Mons)	56/115 s. xiii (fol. 28^{v}) De Mysterio Misse, (fol. 46^{v}) 39 IV, II, vv. 1, 2; B.E. 67, 20, Vita Mariae Aegypt.

Britannia

Cantabrigiae, bibl. univ. (Cambridge)	951 (Ee.ii.33) s. xiii (fol. 78^{v}) 55.
–, collegii Corporis Christi	34 (P.3) s. xiii/xiv (fol. 440) De Mysterio Misse (fol. 445) 39 IV, 21, 40, 20, 39, I, II; 45, 51, 55 (fol. 448^{v}) 22.
–,	277 (H. 9) s. xiii (fol. 15^{v}) 22.
–,	371 (15.1) s. xiv (p. 1) 37 vv. 1, 2.
–,	481 (Misc. L) s. xiii (p. 381) 2.
–, collegii Emmanuelis	38 (I.2.17) s. xii (fol. 2) 43, versus inc.: Vulpe salitur (Walther no. 20869)
–, collegii cui nomen 'Sydney Sussex'	51 (Δ.3.6.) s. xii (fol. 1) De Mysterio Misse, 39 IV, II, I; 3.
–, collegii s. Ioannis	90 (D.15) s. xii/xiii (fol. 54) Vita Mariae Aegypt. (fol. 60^{v}) 55.
–,	134 (E.31) s. xiii (fol. 6) in serie epigrammatum bibl. 34, 20, 3. (cf. Sacris Erudiri 16, 1965, 418).
–, collegii Trinitatis	76 (B.2.33) s. xii (fol. 127^{v}) 55.
–,	317 (B.14.33) s. xiii (fol. 6^{v}) 55.
–,	895 (R.14.22) s. xiii (fol. 44^{v}) Hau. 31, versus inc. fervet amore Paris (Walther no. 6462) 37 vv. 1–14.
–, collegii cui nomen 'Gonville et Caius'	230 s. xv (fol. 72) 37 (fol. 75) 18 imperf., 36 vv. 1, 2.

Cantabrigiae, collegii cui nomen 'Gonville et Caius'	238/124 s. xiii (fol. 148) 39, I, II, III, IV; 40, 42, epigrammata bibl. quattuor; 3, 21, De Querimonia, cant. IV (fol. 150) 45; series epig. bibl. quae continet (fol. 151) 34.
Collegii Etonensis iuxta Windlesor (Eton College)	Bl.3.11 (James 125) s. xii/xiii (fol. 6^v) 34. B1.4.8 (James 135) s. xii (fol. 166^v) 22.
